LEONARDI ARETINI RERVM SVO TEMPORE IN ITALIA GESTA RVM COMMEN-TARIVS.

Eiuſdem De rebus Græcis Liber.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,

1539.

ILLVSTRI IAC-
PHILIPPO SACCO EQVI-
TI, ET SENATVS MEDIOLANI
MODERATORI SAPIENTIS
SIMO, L. ANNIBAL
CRVCEIVS
S. P. D.

CVM eſſent apud me Leonardi Aretini, hominis, ut ætas illa ferebat, & eruditi, & eloquentis, rerum ſuo tempore geſtarum commentarij: operæpretium me facturum putaui, ſi illos uulgò legendos traderem. Nihil enim maioris unquam uoluptatis, aut commodi in hiſce humaniorum literarum ſtudijs arbitratus ſum, quàm præteritorum temporum cognitionem: quæ non aliunde mehercule, quàm ex hiſtoriarum, commentariorumúe aſsidua lectione nobis acquiri poteſt. Nam cum tota hominum uita in rebus agendis poſita ſit: niſi cochlearũ more ſemper domi deſides, manere, & turpi ocio marceſcere pulchrius ducimus: quódnam maius, aut certius ad agendum adiumentum, quàm experientiam, habere poſſumus? quæ profectò nulla alia, ut mihi quidem uidetur, ratione, quàm præteritarum rerum cognitione, maior, & celerior comparari poteſt, aut minore tem-

poris iactura. Etenim, ut demus eam ſolam uerè experientiam dici (duplex enim perhibetur experientia: altera, quæ aßiduè agendo in nobis gignitur: altera, quam ex aliorum geſtis ſæpe relegendis aſſequimur) quæ agendo comparatur: nullus profectò hanc ſe aſſecutum gloriari poterit, niſi longo temporis ſpatio in rebus agendis uerſatus fuerit. Quo fit, ut plerique ſe rebus agendis prius ineptos agnoſcant, quàm eam, quam quærunt, experientiam adepti ſint. Quòd ſi quis ad aliqua ſe compoſuerit negotia gerenda, neq; rerum ab alijs geſtarum lectione ſaltem mediocri, fuerit exercitatus: is omni deſtitutus conſilio aut ſuſceptam temerè prouinciam deſerere cogetur, aut mendicato turpiter uti auxilio: quod utrunque miſerrimum eſt, & indecorum maximè. At qui legendis aßiduè hiſtorijs aliorum uel proſperè, uel infeliciter geſta perdidicerit: hic alieno periculo cautior effectus, & quæ uitanda ſint, & quæ amplectenda dijudicabit acerrime: &, cum res poſtulabit, nauiter, atque maturè ſuſcepta negotia conficiet, atque perficiet. Quæ cum ipſe mecum reputarem, hoſce commentarios diutius apud me deliteſcere nolui: ſed publicæ utilitati, ſtudioſisq; omnibus, quoàd licuit, prodeſſe curaui. Porrò etſi ab aliquibus nimis emunctæ naris hominibus feliciorem

dicendi

dicendi cultum, ac puriorem ſermonem in illis deſide=rari fortaſſe continget (ut nulla omnibus ſatisfaciunt) ab aliquibus etiam ordinem dilucidiorem, diligenti=am'ue maiorem: fidem tamen, quæ in rerum ſcriptore maxima ſemper eſſe debet, à nemine deſideratum iri crediderim: cum ea ſe ſcripturum polliceatur, quibus & interfuerit ſæpe, & præfuerit nonnunquam. Ac=cedat quoque in partem excuſationis, quòd exemplar ipſum (cuiuſcunq; tandem hæc fuerit culpa) adeò de=prauatum, & mutilum erat, ut multis in locis Oedipo coniectore opus fuerit, præterquam quòd alibi deme=re, alibi addere non ſanè pauca oportuit, quò ſaltem integri conſtarent ſenſus, nec uerborum ſeries claudi=caret. Qua in re quantum elaborarim nullo alio adiu=tus exemplari, ſed ſola coniectura, alienum ſit iudi=cium. Addidi uerò & eos commentarios, quos de re=bus Græcis ſcripſit: ut qui hunc autorem in tam pri=ſcis hiſtorijs recenſendis maxima uſum diligentia co=gnouerint: in præſentibus non minore uſum fuiſſe in=telligant. Viſum eſt autem mihi eos amplitudini tuæ nuncupare, ac tuis auſpicijs in uulgus tradere: primùm ut magni alicuius uiri patrocinio tuti eſſent ab inui=dorum calumnijs: deinde ut meam erga te obſeruan=tiam, fidem, ſtudium omnibus teſtatum facerem: poſtre=

*mo ut tuis de me meritis, quæ plurima, & maxima ſem-
per ipſe iudicaui, dum in me ornando, honeſtandoq́;
toties elaborare uoluiſti: etſi non re, uoluntate tamen,
qua licet, ſatisfacere uelle uiderer. Suſcipe igitur læta
fronte quicquid id eſt operis: quod nomini tuo dicatum
in uulgus prodit: ſicq́; tecum ſtatue, ut non mune-
ris exiguitatem, ſed propenſum offerentis
animum tibi ſpectandum putes. Vale,
& qua cœpiſti gratia, fauore, li
beralitate, Cruceium proſe-
quere, & foue. Idi-
bus Mar-
tijs.*

M. D. XXXIX.

INDEX COMMENTARII DE REBVS SVO TEMPORE GESTIS.

A

Albericus Barbianus Comes 6
Albericus Aretium introductus 6
Alexander Pontifex 29
Alexãdri Põtificis mors 30
Albertus Dux Auſtriæ Imperator creatus 50
Amadeus Sabaudię dux Põtifex creatus 58
Angelus Corrarius Põtifex creatus 26
Aretinorum diſcordiæ 3
Aretium Carolo ſponte deditum 4
Aretij direptio 6
Aretinorꝝ exulũ facinus 8
Aretium à Gallis captum 9
Aretium in poteſtate Florentinorum 10
Aragonũ rex ſuperatus 52
Auxilia Florẽtinis addita 61

B

Baldaſar Coſſa Pontifex Ioannes xxiij. appellatus 30
Baſilicæ Florentinæ dedicatio 53
Bellum inter Carolũ & Ludouicum 8
Bellum inter Florentinos & Senenſes 12
Bellum inter Florentinos & ducẽ Mediolani 42.46.54
Bernabos Mediolaneñ. princeps 8
Bernabouis captiuitas 11
Bernardus Florentinorꝝ dux captus 16
Benedictus Pont. dãnatus 36
Bonarum literarum incrementum 14
Bononia Mediolano ſubijcitur 16
Bononia Ladislao extorta 30
Bononia ab Eugenio Pontifice uexata 51
Bononia à Picinino occupata 56
Bonifacius Pontifex 17
Braccius militum ductor 40
Braccius qui fuerit 40
Braccius Peruſiæ dominus. 41
Braccij & Sfortiæ æmulatio 42
Braccij mors 42
Brixia à Venetis capta 45
Brixia à Picinino obſeſſa 56
Burgentes à magiſtratu Florentino aggreſsi 43

Caſale

C
Caſaletij pugna 16
Caroli Vngari in Italiã aduentus 3
Carolus Vngariæ rex creatus 11
Caroli regis mors 11
Cardinalium modus in eligendo Pontifice 25
Carolus Malateſta Arimini præfectus 29
Chryſoloras Byzantius 14
Ciues Ro. x I. interfecti 20
Clemens Pontifex 3
Columnenſes 18
Conſtantia ad concilium electa 33
Concilium Conſtantiæ celebratur 34
Conciliũ Baſileæ indictũ 51
Conciliũ Ferrariȩ indictum. 57
Concordia inter Pontificẽ & Ducem Mediolani 52
Coſmas Medices 51
D
Dealbatorum religio & frequentia 13
Duo eodem tempore Pontifices 3
E
Enghiramus Gallus 8
Epiſcopi Aretini captiuitas 9
Eqtes Philippi Ducis apud Toporium profligati 48
Expeditio contra Ladiſlaum 30
Eugenius Pontifex 49
Eugenij Pontificis fuga 51
F
Fauentiæ princeps ad Florentinos tractus 43
Federicus Dux Auſtriæ 35
Florentinoꝝ ſeditiones 3
Florentini exules ad Carolum confugientes 4
Florentini tumultus 6
Florentini uicti 16
Florentinæ copiæ profligatæ 42
Florentinorum cum Venetis concordia 44
Florentinorum cum Duce Mediolani pax 49
Florentinorum cum Lucenſibus pax 56
Florentini & Veneti fœderis redintegratio 58
Florentinoꝝ trepidatio 59
Florentinoꝝ uictoria 63
Forum Liuij à Picinino occupatum 56
Frãciſcus Sfortia primus 46
Franciſci Sfortiæ geſta quædam 50
Franciſcus Sfortia Philippo duci Mediolani conciliatus 56
Franciſci comitis Puppij ad

Picin

Picininum defectio 59

G

Gallorum & Florẽtinorum ſcomma 9
Gallorum diſceſſus 10
Galliæ Propontifex 25
Galliæ Ciſalpinæ conditio 33
Galeatij Vicecomitis mors 16
Gabriel Galeatij Vicecomitis filius 24
Gambacurta interfectus 23
Genua à Duce Mediolanenſium recepta 42
Genuæ à Duce Mediolanẽſium defectio 52
Georgius Schala 7
Ghibellinorum factio 5
Gherardus Appianus 24
Græcæ literæ in Italiam reductæ 14
Græci ad concilium uenientes 57
Gregorius Pontifex 35
Gregorius Pontificatu abdicatus 36

I

Iacobus Caracciolus 5
Iacobus Appianus ſcriba 23
Iacobus Appianus Piſarum dominus 23
Imola à Picinino occupata 56
Imperator Græcorum 57
Innocentius Pontifex 25
Innocentij Pontificis mors 25
Ioanna regina à Carolo ſuperata & necata 4
Ioannes Gambacurta 24
Ioannes Pontifex, & Imperator Conſtantiam profecti ad concilium 34
Ioannis Pontificis & Imperatoris diſcordiæ 34
Ioãnis Pontificis fuga à concilio 35
Ioannis Pontificis captiuitas 9
Ioannes Pontifex abdicatus 35
Ioãnis Pontificis abdicationum iuſta 37
Ioannis Pontificis liberatio 37
Ioannes Pontifex Martino Pont. inclinatus 37
Ioannes Pontificatu abdicatus, primus Cardinalis effectus, paulò pòſt mortuus 37

L

Ladislaus rex Vngariæ 29
Ladislaus concilium impediens 29
Ladislaus uictus 30
Ladislai uicti dictum 30
Ladislai mors 34

Leonardi Aretini captiuitas 9
Leonardus Aretinus à Pontifice uocatus 18
Leonardi Aretini uerba ad Martinum Pontificem 38
Leonardus Aretinus decẽuir 59
Legati Pontificis ad Sigiſmundum Imperatorem 32
Lignatum oppidũ captum 58
Ludouicus Andegauius à Ioanna regina adoptatus 3
Ludouici Andegauij aduẽtus 7
Ludouici Andegauij mors 9
Ludouici Vngariæ regis mors 11
Ludouicus Andegauius ſecundus 29
Luca obſeſſa 46
Luca obſidione liberata. 46
Luca iterum obſeſſa 47
Luca iterum liberata 47
Luca tertiò obſeſſa 53

M

Manfredus Rex 4
Martinus Pontifex 38
Martini Pontificis pax cum Braccio 38
Martinus Pontifex Romam ſe conferens 40
Michelottus Attendolus 61
Militaris diſciplina ad Italos reuerſa 12

N

Nicolaus Picininus 42
Nicolai Picinini captiuitas 42
Nicolai Picinini à Florentinis defectio 44
Nicolai Picinini in Hetruriam aduentus 59
Nicolaus Picininus à Florentinis ſuperatus 62
Nicolai Fortibracij facinus 45
Nicolai Fortibracij bellum contra Pontificem 51
Nicolaus Tolentinas captus 51

O

Oddo Columna Pontifex creatus & Martinus dictus 36
Oddo Braccij filius 42
Oddonis mors 42

P

Patauium Mediolano additum 11
Paulus Vrſinus 30
Paulus Guiniſius Lucæ dominus 46
Pauli Guiniſij captiuitas 47
Pax Senenſibus data 17

Pax inter Pontificem & Ladiſlaum 23
Peſtilẽtia ingẽs anno 1400. 16
Petramala ſolo æquata 10
Petrus Gambacurta Piſarũ dominus 23
Petrus Gambacurta interfectus 23
Petrus Iampaulus Vrſinus 61
Philippus Maria Dux Mediolani 33
Philippi Ducis magnificentia 52
Piſanorum cum Florentinis bellum 23
Piſæ Galeatio Vicecomiti traditæ 24
Piſæ Florentinis deditæ 24
Politianus mons receptus 12
Pontificis Romani fuga 19
Pontificis ab urbe diſceſſus 22
Pontifex reuocatus 23
Pontifices ambo à Cardinalibus deſerti 28
Pontifex Roma pulſus 31
Pontificis animus 32
Pontificis ſermo ad legatos 32
Pontifex à concilio Baſileæ creatus 58
Pontis lignei deſcriptio 53
Pugna ad pontem Tyberis 19
Piſoppium oppidum expugnatum 63

Q

Quando primum in Italiam Græcæ literę remigrarint 14

R

Roma contra Pontificem à Ladiſlao concitata 18
Roma à Ladiſlao occupata 31
Romæ conditio 18

S

Sabelli 18
Saonæ receptio 27
Senenſium à Florentinis defectio 47
Sfortia militum Dux 41
Sfortia qui fuerit 41
Sfortiæ mors 42
Sigiſmundus Imperator 31
Sigiſmundi Imperatoris in Italiam aduentus 48
Sigiſmundus Imperator Lucæ obſeſſus 48
Sigiſmundi Imperatoris ex Italia receſſus 49
Sigiſmũdi Imperatoris mors 50
Sigiſmũdus Imperator qualis 50
Staggia obſeſſa 47

T

Tarlati 5

Thomas Strozius 7
Tybur occupatum 51

V

Vbertini 5
Venetorum cum Philippo Duce Mediolani pax 45
Venetorum & Florentinorum diſsidia 56
Venetorum urbes à Picinino uexatæ 58
Venetorum cum Florentinis coniunctio 58
Verona Mediolano addita 11
Villanucius 6
Vrbanus Pontifex 3
Vrſini 18

INDEX COMMENTA-RIORVM DE REBVS GRAECIS.

A

Acantij 101
Achæi Thebanis iuncti 113
Achæorum à Thebanis ad Lacedæmonios defectio 113
Adymantus 69
Aeſchynes 80
Agis Lacedæmon. rex 75
Ageſilaus Lacedæm. rex 99
Ageſipolis Lacedæmon. rex 100
Alexius 69
Alcibiades 72. 87
Antiphontes 85
Anytus 87
Ἀναρχία 79
Ἀπατούρια 68
Apolloniatæ 101
Archidamus Lacedæm. rex. 66
Argyruſæ 66
Ariſtocrates 68
Architas 69
Ariſtarchus 88
Ariſtoteles 88
Ariſtodemus 100
Arcadum & Thebanorum diſſenſio 111
Arcadum ab Elienſibus & Meſſenijs diſſenſio 112
Arcadum cum Athenien. concordia 112
Arcades ab Elienſibus uicti 114
Arcadum cum Elienſibus pax 115
Arcadum à Thebanis defectio 117
Athenienſium uictoria 67
Athenien. trophæum Argyruſis erectum 67
Athenien. præfecti ſex 68
Athenæ obſeſſæ 75
Athenien. cum Lacedæmon. pax 99
Athenarum tribus decem 94
Athenienſium cum Lacedæmonijs iterum pax 107

B

Bellum Lacedæmonijs ab Athenienſibus illatum 66
Bellum Arcadum cum Lacedæmonijs 109
Bellum exulum Athenienſium 91

C

Callicratides 66
Caliuius 81
Cedriæ expugnatio 70
Cephiſodotus 70
Charmidis mors 92

Cleombrothus Lacedęmon. rex 106
Cladaus fluuius 114
Conon 69
Critias 79
Critiæ oratio 81
Critiæ reſponſum 89
Critiæ mors 92
Crocinas Theſſalus 79
Cyrus Perſa 69

D

Diomedon 68
Dionyſius primus Syracuſanorum Tyrannus 79
Dionyſij Syracuſani auxilia Lacedæmonijs miſſa 110

E

Elienſium cum Arcadibus pugna 114
Epaminundas Thebanorum Dux 65
Epaminundę reſpōſum Arcadibus datum 117
Epaminundæ uirtus in ſtruenda acie 121
Epaminundæ uictoria 122
Epaminūdas uulneratus 122
Eraſinidas 68
Etheonicus 66
Eudamidas 101
Exulum Athenienſium factum 91
Exules Piræeū ingreſsi 91
Exulum uictoria 92
Exulis cuiuſdam oratio 92
Exulum cum Athenieñ. pugna 96
Exulum cum Athenieñ. concordia 98
Exulū Thebanoꝝ factū 105

F

Factiones Thebanoꝝ 101

G

Galli 110
Gythum à Thebanis oppugnatum 110

H

Hippomachus 92
Hippodromus 109
Hiſpani 110

I

Iſmenias 101
Iphicrates Athenienſis 110

L

Lacedæmoniorū reges duo. 100
Lacedæmonij ab Arcadibus obſeſsi 109
Lampſacus 66
Lampſaci expugnatio 70
Leontes Salaminius 86
Leontiades Thebas prodidit 102
Leontiades ab exulibus occiſus 105
Leuthicadas 99
Leuctri 108
Lyſias 68
Lyſander 69. 99
Lyſandri uictoria 73

Lyſandri concilium 75
Lyſandri & fratris contra exules expeditio 95
Lyſandri mors 99
Lycomedis Mantinæi factum 111
Lycomedes ab exulibus occiſus 112

M

Mantinea muro cincta 108
Menander 70
Melanthus 88
Melon Thebanus exul 103
Mithylena obſeſſa 75

O

Olynthij 101
Olynthiacum bellum 101
Olynthij Lacedæmonibus parent 102
Olympiorum certamen 114
Olympia obſeſſa 115
Onio mons 110

P

Pauſanias Lacedæmon. rex. 95. 99
Pauſanias in exiliũ actus 110
Pax inter Lacedæmonios, & Athenienſes 78
Pericles Athenienſium princeps 66
Pericles Athenieñ. præfectus 68
Perſarum regis factum 99
Philocles 69. 74
Philoclis mors 74
Phyla caſtellum 91
Phœbidas 101
Phliaſij ab Ageſilao domiti 103
Philidas Thebanus ſcriba 103
Piræeum promontoriũ 75
Portus Surdus 96
Potidea 101
Pugna Athenieñ. & Lacedæmon. 67
Pythodorus 79

S

Selaſia 76
Socrates Sophroniſci filius 69
Spartes 69
Sphodrias Lacedæmonius 106

T

Tegea 116
Theramenes 67. 79
Theramenis aſtutia 68
Theramenes cothurnus dictus 83
Theramenis oratio 85
Theramenis reſponſum 89
Theramenes ſupplicio traditus 90
Thraſybulus 67. 87
Thebanum bellum contra Phocenſes 99
Thebarum factiones 101
Thebæ à Leontiadæ proditæ 102

Theb

Thebani magiſtratus interfecti 105
Thebani in libertatem redacti 106
Thebani præfecti facinus 116
Thraſylus 68
Triginta uiri Athenarum gubernatores 79
Tydeus 70
V
Victoria Athenienſium 67
Victoria Thebanorum 108
Victoria Lacedæmon. 122

FINIS.

LEONARDI ARETINI RERVM SVO TEMPORE IN ITALIA GESTARVM COMMENTARIVS.

QVI PER ITALIAM homines excelluerint ętate mea, & quæ conditio rerum, quæ'ue ſtudiorum ratio fuerit: libuit in hoc libello diſcurſu breui colligere. Hoc enim temporibus debere uideor meis, ut corū (qualiacunque tandem fuerint) per me in poſteros tradatur notitia. Quod utinam feciſſent homines ſuperiorum ætatum, qui aliquam ſcribendi peritiam habuere: non in tantis profectò tenebris ignorantiæ uerſaremur. Mihi quidem Ciceronis, Demoſthenisq; tempora multo magis nota uidentur, quàm illa, quæ fuerunt iam annis ſexaginta. Tanta illi clariſsimi uiri ætatibus ſuis lumina infuderūt, ut etiam poſt tàm longa decurſa tempora, quaſi ante oculos poſitæ diſcernantur. At enim quę poſtea ſecuta ſunt ſecula, mirabilis premit, occulitq; inſcitia. Eandem quoque in Platone, qui fuit ætate ſuperior, diligen-

tiam fuiſſe uideo: cuius libros, epiſtolasq́ dum legimus, quaſi picturam quandam illorum temporum uiuentem adhuc, ſpirantemq́ intuemur. Sic enim ille ſtudia adoleſcentiæ ſuæ, cupiditatemq́ Reipub. adeundæ, & conuerſiones temporum, & profectiones eius in Siciliam, & Dionyſij, Dionisq́ controuerſias illas inextricabiles, & utriuſque ſecutas exinde clades enarrat: ut immortalitati commẽdare uoluiſſe eorum notitiam uideatur. Vellem cæteris quoque libuiſſet idem efficere: quò ſuæ quiſque ætatis cognitionem, ac memoriam nobis quàm celebrem reliquiſſent. Sed puto nulli uoluntatem, plurimis uerò facultatem defuiſſe ſcribendi. Literæ quidem, niſi ſint illuſtres, atque diſertæ, claritatem rebus afferre non poſſunt, neque memoriam earum in longum extendere. Nos igitur quod ab alijs deſideramus, id exhibere poſteris conati ſumus: ut ſiqui fortè legere curabunt, noſtrorum temporũ nõ deſit cognitio.

ME QVIDEM puero (ut hinc narrare incipiam) duo Pontifices Romani per diſcordiam creati, diuerſo fauore populos ſciderant: alijs Vrbanum, alijs Clementem (hæc enim illorum erant nomina) ut uerum pontificem aſſerentibus. Imperij uero nomen, ac titulum Vincislaus obtinebat: is in extrema Germania morabatur. Per Italiam autem Ioanna regina Calabriam, & Apuliam, ac cæteras, quæ regno illi accedunt, partes gubernabat. Florentini magnis ſeditionibus agitati, præſtantiſsimos ciues urbe pepulerant. Aretini & inteſtinis diſcordijs, & longo difficiliq; bello ſuorum exulum uexabantur. Cùm hæc eſſet conditio rerum, Carolus, qui poſtea rex fuit, in Italiam uenit, uocante Vrbano pontifice: quò Ioannam reginam ulciſceretur. Illa enim Clementi fauere, & Ludouicum Andegauenſem Francorum quondam regis filium adoptaſſe ad ſucceſsionem regni ferebatur. Hæc itaque indignans Vrbanus Carolum ex Vngaria uocauit, iam pridem cognitum Taruiſino bello: in quo magnas copias aduerſus Venetos, iuſſu regis Vngariæ, per Italiam ductauerat. Vocabat autem eum Vrbanus, quò regnum reginæ auferret. Carolus igitur ſatis magnis Vngarorum copijs per Taruiſinum, Vicentinumq; agrum deſcendens, cùm tranſmiſſo medio ſpatio Ariminum perueniſſet: Aretini ſtudio partium, & fiducia generis per-

moti, illum in Hetruriam uocantes ſeſe, ac urbem ei dedere uelle obtulerunt. Erat enim Carolus regio genere, à Carolo illo, qui Manfredum ſuperauit, Guelforumq́ partes per Hetruriam reſtituit, exortus. Qua quidem ſpe Aretini crediderunt exules ſuos diuerſorum partium homines (qui longo, difficiliq́ bello ciuitatem premebant) funditus euerti poſſe. Venit igitur Aretium: & ſumma omnium lætitia ingreſſus, dominationem ſuſcepit ciuitatis. Cùm eſſet Aretij Carolus, Florentini exules eadem fiducia generis, ac ſtudio partium inducti, ad eum populariter conuenerunt. Nam qui Florentiam gubernabant ad contrariam factionem declinare ferebantur. Eorum precibus, motus Carolus, Florentiam petere contendit, quaſi eos in patriam ui & armis reducturus. Nec rectum iter tenuit: ſed per agrum Senenſem profectus, circa Staggiam, & Bonitium Florentini agri fines ingreſſus eſt. Inde ſeu non ſuccedente conatu, ſeu pecunia delinitus, re infecta, Aretium redijt. Romam poſt hæc ad Vrbanum profectus, cum aliquandiu ibi conſtitiſſet ad belli apparatus faciendos, mox Neapolim petẽs, reginã ſuperatis eius ducibus cepit, regnumq́ obtinuit: nec multo pòſt regina obijt, Caroli iuſſu (ut putatur) necata: non tam odio (erat enim genere ſibi in primis coniuncta) quàm ut ſpem omnẽ fautoribus eius auferret. Inter hæc Aretini magis, quàm unquã prius, inteſtinis ſeditionibus agitari cœperũt.

Præſe

Præfectus enim Caroli in ea urbe relictus formidãs eorum ciuium potentiam, qui regi tradiderant ciuitatem, quò eos debilitaret, diuerſæ factionis homines in urbem reſtituit. Hæc quanquam ſub ſpecie reconciliationis ciuilis agebantur: tamen confeſtim grauiores diſcordias, ac extremum penè interitum ciuitati peperere. Vnà ſiquidem intra mœnia receptis diuerſiſsimarum uoluntatum hominibus, confeſtim & ſuſpitiones, & ſtudia partium increuere. Augebat uerò id malum Præfectus, ad fauorem eorum, quos ipſe reduxerat, totus declinans. Denique captis principibus alterius factionis, & in carcerem coniectis, nonnullis etiam necatis, ad exulum nuper reductorũ nutum cuncta miniſtrabat. Ita Ghibellinorum factio, quæ amplius quadraginta annis exulauerat, & tunc per aduentum Caroli peritura ſperabatur, fauore Præfecti reducta in urbem, præualere manifeſtiſsimè cœpit: adeò in rebus humanis coniectura fallit. Quæ cùm regi nuntiata eſſent (ciues enim ipſi à Præfecto deiecti querelam ipſi detulere) improbitatem Præfecti deteſtatus, illo reuocato atque remoto, Iacobum Caracciolum Neapolitanum ad gubernandam urbem tranſmiſit. In aduentu noui Præfecti, quoniam ille ſecum ciues nuper eiectos reducebat, & de mutatione rerum timebatur, arma ſumpta ſunt, præliaq; per urbem commiſſa. Durius id certamen faciebat, quòd Tarlati, & Vbertini principes Ghibellinarũ partium aliquot

millia armatorum hominum ex oppidis,clientelisq́ſuis in urbem contraxerant: paratiq́, & compoſiti ad arma deuenerant.Eo præſidio muniti ſuperiores habebantur,ut compellerentur noſtri in arcem refu gere. Ibi cùm de remedijs agitaretur, placuit Albe-ricum comitem, qui magnas habens copias in fini-bus Peruſini, Cortonenſisq́ agri per id tempus de-gebat, in auxilium uocare, aduerſariorumq́ bona prædam ſibi polliceri. Ea cõditione Albericus cum magno equitatu uenit: receptusq́ per arcem ſimul cum ea parte ciuium,quæ in arcem refugerat, in ad-uerſarios erupit. Nec magnum fuit certamen: illi enim ipſi, ubi ſuperueniſſe auxilia equitum intelle-xere, relicta urbe in proxima ſeſe caſtella ſuarũ par-tium receperunt. Equites uerò ad prædam cõuerſi, totam diripuerũt urbem: nec minus amicorũ, quàm inimicorum bona in prædam uertêre. Et ſuperuenit properè alia manus equitũ, non ſanè minor, quam Villanucius ductabat. Ea quoq; manus in urbẽ re-cepta,quicquid ſuperfuerat prædę,abraſit. Additur huic acerbitati ſcelus aliud. Cùm enim extremum eſſet autumni; hybernare duces intra urbem cum o-mnibus copijs ſtatuêre. Ita crudeliter pulſi ciues cũ cõiugibus,& liberis,patriam relinquere coacti ſunt: miſerãdaq́ multitudo inops rerum omnium, ac bo-nis exuta,longis agminibus finitimas ciuitates,oppi daq́ repleuit. Per hæc eadem ferè tempora Floren-tiæ motus in repub. fuit: pulſoq́ Thoma Strozio

principe

principe illius factionis, Georgio autem Scala alte-
ro principe ſupplicio affecto, exules in urbem ſum-
mo conſenſu ciuium reuocati gubernacula reipub.
ſuſcepere. Quæ Aretium occupauerant copiæ, hye-
mem totam, ac partem æſtatis in ea urbe commora-
tæ, cùm tandem abijſſent, ciues, qui à tanto naufra-
gio ſuperfuerant, in uacua, ac ſemiuſta tecta redie-
runt. Nec in eo ipſo tempore quies à bello. Exules
enim finitima urbi caſtella poſsidentes uſqꝫ ad mœ-
nia per ſingulos ferme dies infeſtabant. Itaqꝫ nullus
ciuis intra urbem non armatus conſpiciebatur: o-
mnis cura, & opera bellicis artibus incubuerat, cùm
& repellerent illatam uim, & paulò pòſt confirmati,
ultrò ipſi exulibus omnifariam belli clades inferrēt.
Inter hæc Ludouicus Andegauenſis (quem adopta-
tum ab regina diximus) in Italiam uenit. Huius ad-
uentus Florentinos, Aretinoſqꝫ maximè cōterruit.
Veniebat enim inimicus Carolo: cui & Aretini pa-
rebant, & Florentini poſt reuerſionem exulum mi-
rabili fauore obſequebantur. Copias uerò tantas ſe-
cum adducebat Ludouicus, ut non facilè maiores
tranſiſſe Alpeis quiſquā meminiſſet. Equitum enim
circiter quadraginta millia habere in exercitu fere-
batur: à quibus, ſi per Hetruriam iter facerent, ex-
tremæ formidabantur clades. Sed ille cum tam in-
numerabili exercitu aliud iter ſecutus, cùm citeriorē
Galliam dimenſus fuiſſet, Bononiā tandem, Arimi-
numqꝫ pręteruectus, per Picētes, & Marſos in Nea-
polit

politanum regnum peruenit. Ibi rebelliones crebrò factę ab ijs, qui reginam à Carolo necatam indoluerant: bellumq́; inter duos reges acerrimum eſt concitatũ. Quod cùm longius traheretur, nec alterutra pars ad ſummũ præualeret: Ludouicus aliam equitum manũ ex Gallia euocauit: fuerant autem hæ copiæ circiter millia quindecim militum ſelectoꝝ. Ducebat uerò eas copias Enghiramus quidam Gallus, uir domi potens, ac bello clarus. Is ergo cum tranſmiſsis Alpibus in Italiam deſcẽdiſſet, receptus hoſpitaliter à Bernaboue Mediolanenſiũ principe, commeatuq́;, & pecunijs adiutus, non per Ludouici ueſtigia proſecutus eſt iter: ſed ad dexterã flectens, per Placentinoꝝ, Parmenſiumq́; fines Apennino monte tranſmiſſo, in Hetruriam deſcendit. Iter eius per Lucenſem, Florentinũ, & Senenſem fuit agrum. In his locis cùm eſſet, Aretini exules, de quibus ſuprà dixi, illum adeunt: Aretium Caroli eſſe docent: occupari uerò eam urbem facilè poſſe, quoniam permagnus murorũ ambitus ſit, defenſores autem pauci, ob ſuperiores eius populi calamitates: Eſſe prætereà nonnullos intra urbem, quos ſibi fautores haud dubiè ſperent. Ita pollicendo, atq́; inſtando Gallos pellexerunt, ut Aretium aggrederentur. Re occultè cõpoſita, exules per noctem ſcalis mœnibus admotis per remotiſsima urbis loca partem muroꝝ ceperunt: ſtatimq́; Galloꝝ aderant copiæ, ciueſq́; ſimul exciti accurrunt. Galli per refractam ab exulibus

portam

portam ingreſsi, non una modò uia, ſed pluribus inuadere urbem cœperunt. Quo factum eſt, ut multis ſimul locis prælia unum ſub tempus conſererentur: nox, atque tenebræ terribiliora omnia faciebant. Denique uicatim propè expugnata urbe, poſt multas cædes, ac uarias prælij fluctuationes, ſub primam tandem auroram capitur tota, præter arcem: hanc enim pars iuuentutis in eam refugiens egregiè defendit. Ad prædam poſt hæc conuerſi uictores omnia diripuerunt: & ciues, qui exulibus egregiè inimici fuiſſent, captiuarunt. Ea nocte acerbiſsima quidem omnium, quas unquam meminerim, parens meus ab exulibus captus, & in caſtellum Petræmalæ ductus, ibi carcere maceratus eſt unà cum Ioanne Epiſcopo Aretino, & alijs quibuſdam præcipuis uiris, exulum inimicis. Ego quoq;, licet puer, ab alia manu exulum captus, in caſtellum Quaratæ (nam id quoque exules tenebant) abductus ſum: & quia puer eram, non cum alijs captiuis, ſed honeſtiore quodam carcere cubiculo aſſeruabar. Erat in eo cubiculo picta Franciſci Petrarchę imago: quam ego quotidie aſpiciens, incredibili ardore ſtudiorum eius incendebar. Qua nocte Galli Aretium intrarunt, ea ipſa nocte Florentiam crebris negotiatorum literis nũtiatum eſt, Ludouicum Andegauenſem in Apulia diem obijſſe. Itaq; Gallis paulò pòſt per ironiam quaſi læta nuntiantibus ſe Aretium cepiſſe: reſponſum à Florentinis eodem

ſigmento eſt,non tam lætari ſe Aretio capto , quàm dolere Ludouici morte:quem certiſsimũ cognoue⸗rant interijſſe.At Galli hæc falſa ducẽtes,læti, atque alacres Aretij conſiſtebant. Expugnare uero arcem adorti,cùm multis uulneribus repellerentur,ad ob⸗ſidionẽ eius ſe compararunt : crebraq́ per ſingulos dies prælia ante arcem ipſam incredibili certamine cõmittebantur:ut amarẽt etiã Galli eorum,qui obſi⸗debantur,uirtutẽ.Iuuentus autẽ obſeſſa tanto belli⸗gerandi ſtudio flagrabat , ut unica ſibi uoluptas fo⸗ret manus cõſerere. Treis mẽſes circa arcẽ Galli oc⸗cupati,cum tandẽ de obitu Ludouici certiores facti eſſent,omiſſo proficiſcẽdi in Apuliã cõſilio,redire in Galliã ſtatuerunt.Ad hunc ipſum reditum cum pe⸗cunia opus eſſet,uertere mentẽ ad cõditiones cœpe⸗runt:ac Florẽtinos pecuniã rogare,et ſibi relinquere urbẽ polliceri.Florẽtini uero quãquam ſummopere affectabãt:tamẽ ante omnia putauerũt mittendũ eſſe in arcem ad ſciſcitandũ ciuiũ animos. Nec ſanè ob⸗ſeſsis aliud refugium uidebatur:præſertim ne exuli⸗bus urbs à Gallis relinqueretur formidãtibus.Ita ex cõſenſu ciuiũ res trãſacta,urbsq́ abeuntibus Gallis, & arx dedẽtibus ciuibus in Florẽtini populi deuenit poteſtatem.Caſtella deinde prius occupata repetẽti⸗bus Florentinis,bellũ aduerſus Tarlatos, cæterosq́ exulũ principes ſuſcitatẽ:Petramalaq́ perpetua Ghi⸗bellinorũ ſedes obſeſſa,poſt longã oppugnationẽ tã⸗dem capitẽ,& ſolo æquatur:& Aretinæ quidẽ turba⸗

tiones per hunc modū requieuerūt. Carolū autē in Apulia omnino uictorē alterius ſpes regni in Vngariam traxit. Mortuo enim Ludouico Vngariæ rege propinquo ſuo, quoniā prolē nullā uirilē reliquiſſet, ipſe cōſenſu procerū ad id regnū poſtulabatū. Profectus igitur magna manu, cum regnū ſuſcepiſſet, inter ipſam gratulationē dolo reginæ ueteris interficitur. Per hoc ipſum ferè tēpus Bernabos Mediolanēſis, cuius & autoritas, & potētia per Galliā maxima fuerat, à Galeatio fratris filio capitū, ac dominio ſpoliatū. Cuius ruina quāquā grata erat Florētino populo: tamē paulò pòſt cōſiderās ad priorē nepotis potentiā, quæ erat per ſe maxima, Bernabouis inſuper opes, ac potentiā acceſsiſſe: horrere iam inde tantas uires, ac formidare immodicas opes incepit. Quam mox ſuſpitionē auxit Verona primo, deinde Patauium urbes magnę, ac potentes, ad imperiū additæ. Itaq; creſcēte ſuſpitione, parare iam inde remedia, ac ſe præmunire Florētini pergebāt. Et illæ uice uerſa cauere diligētius, ac Florētinos uerſari in ſuis oppidis prohibere. Iam per Hetruriā quicūq; aut formidabāt populi Florētini potentiā, aut oderāt, ad hūc reſpicere, ac refugere, & in Hetruriā accerſere: Et in primis Senēſes tūc infenſi maxime Florētinis ob Politiani receptionē. Id oppidū in fidē Senenſium cùm eſſet, orta inter principes ſeditione, pars eorū pulſa cōfugerat ad Senēſes: quam cùm reducere illi uellēt, renitēs altera pars, ſeſe, atq; oppidū Florentinis tra-

didit: adeo quidẽ obſtinatè, ut nõ recipientibus ab initio ciuibus ob Senẽſium reſpectum, oratores: qui ad delendũ oppidũ uenerãt: ad ærariũ ꝓfecti in bona Florẽtini populi id oppidũ retulerint, ac trãſcribi monimẽtis publicis effecerint. Per hunc modũ recepto Politiano Senẽſes, ueluti cõtumelia tacti, res nouas affectare palàm cœperunt, & ad Mediolanenſes opes ſe totos cõuertere, magnumq́ꝫ illius equitatum intra urbem recipere. Ita creſcẽtibus ſuſpitionibus, atqꝫ odijs, tandẽ bellũ exarſit. Id bellũ multis durauit annis: quãquam intercesſit nõnunquã pax, uerũ ita ſuſpitioſa, ut uix ab armis diſcederetur, ac reſumeret̃ cõfeſtim bellũ. Nec per Hetruriã modò, ſed per Galliã quoqꝫ uariè fuit id bellũ implicatũ: ſubmittẽtibus eò copias Florẽtinis, ac magnos eqtatus ex Trãſalpina Gallia, et Germania cõmouẽtibus. Arma per hoc tẽpus in manus Italorꝫ penitus redierãt: cùm ſuperiori tempore ꝑ equites exterarũ nationũ mercede cõductos bella geri per Italiã cõſueuiſſent. Veniebãt enim uiri domi nobiles comitatũ equitum in Italiam trahẽtes, mercede uel apud ciuitates, uel apud principes militaturi: plurimiq́ꝫ ex Germania aut Gallia: ſed et Hiſpani generis ꝑmulti, et Vngari, et Britãni ꝑ Italiã militabãt. Apud hos gloria eqſtris habebat̃. Noſtri aũt ꝑpauci militiæ ſe dedebãt. Me puero primũ noſtri ueterẽ eqſtris militiæ gloriã recuperãtes, magnis Italorꝫ turmis militare cœperũt: creſcensq́ꝫ paulatim multitudo uſqꝫ adeò peritia, & audacia

audacia præſtitit, ut nemo iam exterũ equitem habere uellet: uictoria & ſpes omnis bellantium in Italico equitatu reponeretur. Per hęc ipſa tempora mirabilis accidit populorum motus. Omnis quippe multitudo ueſtes induit albas, & piaculis quibuſdã factis, incredibili deuotionis feruore longa dealbatorum agmina ad uicinas urbes commeabant, pacem, ac miſericordiam clamore ſupplici deprecãtia: prorſus miranda res, & incredibile negotium. Peregrinatio erat ferè dierum decem: cibus uero ut plurimum panis & aqua: nulli per urbes alio ueſtitu cõſpiciebantur: Acceſſus uerò in aliena oppida etiam parùm antea pacatorꝝ liberi fuerunt. Nemo per id tempus dolo fallere tentauit: nemo aduenarum oppreſſus: tacitæ quædã induciæ cum hoſtibus fuere. Durauitq; is motus ferè menſes duos: cùm & proficiſcerentur populi in alienas urbes, & alij in ſuas aduentarẽt. Mira hoſpitalitas ubiq;, & benigna ſuſceptio. Vnde uerò initium cœperit, obſcurũ eſt. Ex Alpibus certè in Ciſalpinã Galliam deſcẽdiſſe ferebatur: mirabiliq; diſcurſu populos apprendiſſe. Florentiam primi omnium Lucenſes populariter aduenere: quibus cõſpectis, tantus confeſtim ardor conſecutus eſt, ut etiã illi ipſi, qui antè rem auditam deriſerant, primi omnium ſuorũ ciuium ueſtes mutarent: * & quaſi Deo correpti motu ſimili uagarẽtur. Florentini quadrifariã partito populo, duæ ex his partes innumerabili multitudine uirorum, mulierũ,

** als: & quaſi œſtro, ut dicitur, correpti.*

puerorum, Aretium petiere: reliquæ uerò partes ad alia loca profectæ ſunt. Quocunq; perueniebant de albatorꝝ agmina, eorum locorum incolæ exemplo ſimili mouebantur. Ita ex Gallia in Hetruriã, ex Hetruria in Vmbriã, ex Vmbria in Sabinos, & Picentes, & Marſos, cæteraſq; ſubinde gentes progreſſa cõmotio, ad extremas Italię oras peruenit, nullos in populos nõ peruagata. Literæ quoq; per huius belli intercapedines mirabile quantum per Italiam increuere: accedẽte tunc primum cognitione literarꝝ Græcarum: quæ ſeptingentis iam annis apud noſtros homines deſierant eſſe in uſu. Retulit autem Græcam diſciplinã ad nos Chryſoloras Byzantius, uir domi nobilis, ac literarꝝ Gręcarum peritiſsimus. Hic obſeſſa à Turcis patria Venetias mari delatus primò, mox audita eius fama inuitatus benignè, ac poſtulatus, & ſalario publico affectus Florentiã uenit, ſui copiam iuuenibus exhibiturus. Ego per id tempus iuri ciuili operam dabam, non rudis tamen cæterorum ſtudiorum. Nam & natura flagrabam diſciplinarum amore: & dialecticis, ac rhetoribus non ſegnem operam impenderam. Itaq; in aduentu Chryſoloræ anceps equidem factus ſum: cùm & ſtudium iuris deſerere flagitioſum ducerem: & tantam occaſionem literarum Græcarum ediſcendarꝝ prætermittere ſcelus quodãmodo arbitrarer: ſæpiuſq; ipſe ad me iuuenili motu inquiebam: Tu cùm tibi liceat Homerum, Platonem, Demoſthenem, cæteroſq;

roſq; poëtas,& philoſophos,& oratores, de quibus tanta ac tam mirabilia circunferuntur , intueri , atq; unà colloqui, ac eorum mirabili diſciplina imbui, te ipſum deſeres, atq; deſtitues? Tu occaſionem hanc diuinitus tibi oblatam prætermittes? Septingentis iam annis nemo per Italiam Græcas literas tenuit: & tamen doctrinas omnes ab illis eſſe confitemur. Quanta igitur uel ad cognitionem utilitas , uel ad famam acceſsio , uel ad uoluptatem cumulatio tibi ex linguæ huius cognitione proueniet? Iuris quidē ciuilis doctores paſsim complurimi ſunt, nec te deficiet unquam diſcendi facultas. Hic autem unus,ſoluſq; literarum Græcarum doctor, ſi è conſpectu ſe auferet, à quo poſtmodum ediſcas , nemo reperietur. His tandem rationibus expugnatus,Chryſoloræ me tradidi , tanto diſcendi ardore , ut quæ per diem uigilans percepiſſem , ea noctu quoque dormiens agitarem. Condiſcipulos habui plures : ſed qui maxime profecerint,duos ex nobilitate Florentina Robertum Ruffum, & Pallam Honofrij filium Stroziam. Erat inſuper in eadem diſciplina Iacobus quidam Angeli : qui autor in primis fuerat Chryſoloræ arceſſendi. Acceſsit quoque poſtmodum Petrus Vergerius Iuſtinopolitanus : qui cum Patauij ſtudio floreret,ſecutus Chryſoloræ famam, ſeſe Florentiam contulerat ad eum audiendum. Ex his Robertus, & Vergerius,& Iacobus Angeli me longe anteibant ætate. Pallas erat ferme æqualis. Apud

hunc

hunc ego magiſtrum ſupra biennium fui, inſtitutus ſanè probabili, atq; optima diſciplina. Tandem Imperatore Conſtantinopolitano in Italiam aduecto, reuocanteq; ad ſe Chryſoloram, abijt ille Florentia, & Mediolanum ad Imperatorem ſuum ſe contulit.

Iam milleſimus quadringenteſimus erat annus: & peſtis ſigna quædã terrere inceperant: quæ paulò pòſt Florentiæ deſęuit cum incredibili ſtrage cuiuſq; ſexus, atq; ætatis. Vnicum eius mali remediũ fuga repertum eſt. Fugerũt itaq; ciues populariter, Bononiam plurimi demigrãtes. Et tamen in uacua, deſertaq; urbe ſuprà XXX. hominum millia peſtis abſumpſit. Cùm finem peſtis tandẽ feciſſet: bellum, quod aliquandiu intermiſſum fuerat, maius quàm anteà, inſtauratum eſt. Congreſſæq; utrinq; copiæ apud Caſaletium Bononienſis agri uicum conflixere. In ea pugna noſtri ſuperati profligantur. Bononia, quæ ad eam diem in ſocietate Florentini populi fuerat, Mediolanẽſe iugum ſuſcepit. Copiæ Florentinorum omnes ea pugna perierant, capto etiam Bernaboue duce. Itaq; plurimum Florentiæ trepidatum eſt: nec ulla reſiſtendi ſpes relicta uidebatur, amiſſo exercitu toto, duce inſuper capto, Bononia ſubacta. Per Hetruriam uerò Piſani, Senenſes, Peruſini, in poteſtate Mediolanenſium erant: Lucenſes quoque haud multum aberant: nec ulla ſalutis ratio cernebatur. Mors Galeatij Mediolanenſis inſperatò ſuperuenit. Deceſsit enim morbo in curſu

ipſorum rerum maximarum. Eius interitu turbata ſunt omnia apud hoſtes, cùm & filios reliquiſſet paruulos, & militiæ duces ſtatim inter ſe de potentia certantes, ruinam principum machinarentur. Ita mirabiliter conuerſa re, qui prius terrebant, metuere cœperunt: & quibus deſperata uidebantur omnia, in tuto conſiſtere, ac plurimum fidere. In Hetruria tamen haud multò pòſt data pax Senenſibus eſt: & cum Piſenis tacito quodam conſenſu à bello ceſſatum. Peruſia, & Bononia è manibus hoſtium ereptæ in poteſtatem Bonifacij Romani pontificis (is enim Vrbano ſucceſſerat) deuenere. Mortuo Galeatio Mediolanenſium principe ac ſubinde paucis pòſt annis Bonifacio uita functo, Ladislaus rex formidabilis per Italiam eſſe cœpit. Hic à patre Carolo, quem in Vngaria necatum oſtendimus, puer admodum ſub tutela matris in Italia relictus, inter mille difficultates adoleuerat. Suſcepta primum ab eo in Vngariam expeditio, cum parum proſperè ſucceſsiſſet, in Italiam regreſſus purgato Apuliæ regno, ac ſub manus eius redacto, in id potentiæ creuit, ut iam & pontifici Romano, & Florentinis, cæteriſq; populis ſuſpectus ſanè, ac formidabilis haberetur. Præſertim cùm in eodem rege ſumma calliditas eſſet cum ſumma dominandi cupiditate coniuncta. Nec domi ſedens per præfectos, ſed ipſe præſens exercitum ductare, ac expeditiones obire conſueſſet. Adiuuabat inſuper eum incredibi-

lis populorum fauor: quòd ipſe ſolus ex regia ſtirpe reliquus unicè colebatur. Bonifacio Innocentius in pontificatu ſucceſsit patria Sulmonenſis, uir ætate grandæuus, ac multarum, magnarumq́ rerum experientiam callens. Ad hunc igitur pontificem Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, cum honeſtiſsimam ſalutandi, gratulandiq́ prætexeret cauſam (eſſet autem reuera augendi regni cupiditas) Romanos nec prius quietos ſua præſentia in pontificem concitauit. Ipſe uerò mentem erexit ad urbem Romam capiendam. Nec tamen aperta ui moliebatur rex, nec in præſens urgebat rem: ſed clàm irritando ciues Romanos, ac Pontifici reddendo infeſtos, putauit fore, ut Pontifex illorum petulantiam non ferens, ex urbe migraret, Romani autem ad ſe conuerterentur. Hæc ergo machinatus rex, domum rediјt. Pontifex autem Romæ conſiſtens magnis in difficultatibus uerſabatur. Ego per hoc tempus ab Innocẽtio uocatus, Romam ueni, & quidem in medio turbationum maximarum: ſuſceptusq́ benignè à Pontifice, ac honoribus, titulisq́ affectus inter intimos illius familiares haberi ſum cœptus. Romæ conditionem rerum hãc offendi: Populus Romanus paulò antè receptam immodicè quidem exercebat libertatem. Ex principibus autem Columnenſes & * Sabelli plurimùm poterant. Vrſini uerò deiecti, atque ſuſpecti populo, quòd Pontifici fauere putabantur. Curia ſanè plena

*al's: Gibellini

plena atque locuples, Cardinales & multi & magnæ dignitatis. Pontifex apud Baſilicam Vaticani degebat cupidus ocij, & præſente contentus ſtatu, modò frui ſineretur. Sed tanta peruerſitas erat quorũdam potentium in populo Romano, ut nullus quieti relinqueretur locus. Tandem non creſcentibus ſuſpitionibus, & equitatu à rege ſubmiſſo, Pontifex quoque auxilia ſuorum arceſſere coactus eſt. Secutæ dehinc maiores turbationes, ciuiumq; Romanorũ cædes, & Pontificis fuga. Quæ, quoniam ſingulis interfui, non pertranſeam, ut cætera: ſed paulò ſerioſius iuuabit ꝑſcribere. Pons eſt Miluius ſuper amne Tyberi extra urbem Romã, per quem ex Hetruria in Latium tranſitur. Hunc noſtri præſidio militum impoſitò tenebant. Romani uerò cupiẽtes eum quoque pontem in ſuam redigere poteſtatem, ne quãdo inde damnũ inferri Latio poſſet, noctu uadentes ſubita ui capere pontem adoriũtur. Reſiſtunt milites, qui erãt in præſidio, ac magna ui utrinq; pugnatur. Sub primã tandem lucem re ex fumo cognita miſsi celeriter equites noſtri Romanos in fugam uerterũt paucis interfectis, frequentibus uulneratis. Illi in urbem reuerſi Capitolio cõſiſtunt, multitudinẽ conuocant. Feſtus erat dies, plebs otioſa, & uino calẽs, concurſant, ſumuntur raptim arma, uexilla promũtur, ad oppugnandas Pontificis ædes ire pergũt. Noſtri contrà inſtare, parare tela, cohortari, inſiſtere, expectare forti animo populi impetum, ante molem

Adriani, quæ male pacata nobis erat, uallum iacere. Nox deniq; certamẽ diremit: ea nocte uigiliæ utrinque in armis actæ. Secutis deinde mox diebus, de cõcordia agitatum. Cuius rei gratia Romani quidem ciues ad Pontificem uenere. Hi poſt multa cum Pontifice agitata domum redeuntes, paulò ſupra molem Adriani inuadũtur. Capti ex his undecim (nam cæteri in ipſo impetu dilapſi euaſerant) ad Ludouicum Pontificis nepotem, cuius iuſſu capti fuerant, adducuntur. Deniq; omnes undecim crudeliter interfecti ſunt. Inter hos, duo fuerant ex Septemuiris, quos ad gubernandã Rempub. populus Rom. creauerat. Cæteri aũt nouem ex primarijs ciuibus, &(quod dolendum fuit) nõnulli ex his, qui eas moleſtias nobis inferri permoleſtè ferebãt. Huiuſce aũt rei cùm celeriter fama per urbẽ uulgata eſſet, itur confeſtim ad arma, cõplent omneis aditus, clamoribus & uociferationibus omnia reſonabãt. Ipſe quoq; permagnũ ea die periculũ adij. Nam paulò antè fiducia eorũ ciuiũ, qui ad Pontificẽ uenerãt, flumẽ trãſgreſſus, ieram in urbem. Itaq; mox audito tumultu recipere me ad noſtros propero. Cętera igitur dimenſus cum ad pontẽ Adriani perueniſſem, armatorũ ingentẽ cateruã, qui pontẽ occuparãt, offendo. Erãt aũt hi cæſorũ agnati, et propinqui. Stabatq; ferri acies mucrone coruſco, Stricta parata neci. Quod ego ſimul ac ꝓſpexi, auerſo celeriter equo, ĩ ꝓximũ angiportũ deſilio, ac ueſte miniſtri aſſumpta, pedes me turbę admiſcẽs, ſtatiões arma

armatorum incognitus pertranſij. Mihi uerò poſtquam ad noſtros perueni primum ſpectaculum fuit cæſorum aceruus. Iacebãt enim media in uia ſanguine fœdati, magniſq; uulneribus confoſsi. Steti horrens, luſtrauiq; omnes oculis: quoſdam etiam ex his mihi notos, & amicos lachrymans recognoui. Inde ad ædes Pontificis ire pergo. Ille miro dolore angebatur. Res enim tota eo inſcio tranſacta fuerat. Vir pacificus, & mitis: à cuius lenitate nihil magis abhorrebat, quàm cędes, & humani ſanguinis effuſio: mœſtus ſeſe ac fortunam deplorans ſuam, oculos interdum ad cœlum tollẽs quaſi Deum inuocaret teſtem ſuæ erga populum Romanum innocentiæ. Pontifex igitur his curis anxius, nec quid ageret, aut ubi conſiſteret, præ nimio dolore ſciebat. Circunſtantiũ autem uariæ erant ſententiæ. Alij confeſtim abeundum cenſebant, nec impetum populi Romani tam inſigniter læſi, irritatiq; expectandum. Eſſe inſuper haud procul ab urbe regias copias, quas pro Romanis ſtare non ambiguum erat. Alij nullo modo abeundum, ſed obſidionem tolerandam, auxiliaq; ex amicis oppidis accerſenda cenſebant. Erant etiã qui poſtera, uel altera die abeundum putarent, ut ſimul colligendarꝫ rerum ſpatium eſſet: ſimul ut non fuga, ſed migratio illa uideretur. Duo erãt aditus, quibus ex urbe Romana ad nos peruadi poſſet: Vnus per pontem, cui moles Adriani ſuperimpoſita eſt: alter per transtyberinam partem, & Ianiculi collem

aduerſus molem Adriani: quoniam de fide eius, qui arcem tenebat, dubitabatur, ſtationes noſtrorum militum oppoſitæ fuerant, ualloque, & aggere in modum caſtrorum munitæ. Aduerſus Ianiculum mœnia erant nõnullis locis uetuſtate collapſa: hæc quoque loca armatis complebantur. Reſiſti ſine dubio poterat contra omnem populi uim: uerùm quia cõmeatus paucorum admodum dierum aderat, & regiæ turmæ nobis infeſtæ aduentare nunciabantur: uicit eorum ſententia, qui ſuadebant eueſtigiò abeundum. Igitur ſarcinas colligere, & impedimenta componere noſtri contendunt. Quod ubi per anguſtiam temporis factum eſt: prima turma equitum, unà deinde impedimenta, peditesque proficiſcũtur: poſt hos Pontifex cum omnium curialium turba: extremum fuit equitum agmen: qui aliquo interuallo ſequuti, uim, ſi qua immineret à tergo, repellerẽt. Supererant quatuor diei horæ, cùm urbe egreſsi ſumus: profecti non ſine magno timore, circiter ſecundam noctis horam ad uicum Ceſianum XII. millia paſſuum ab urbe conſedimus: ibi per eam noctem commorati. Poſtridie prima luce caſtra mouimus: & circiter ſextam diei horam Sutrium peruenimus. Sutrini omni multitudine extra portas diffuſa alacri uultu Pontificem receperunt. In hac urbe, quod reliquum erat diei, ac ſecutam noctem commorati, poſtera die Viterbum contendimus. Viterbi autem cum eſſet Pontifex iam aliquot menſes commoratus, Ro

mani

mani pœnitentia ducti, dominationem urbis illi red
diderunt, ac multis legationibus eum reuocarunt.
Itaque reuerſus Romam Pontifex, miro applauſu
populi Romani ſuſcipitur. Non tamen adhuc erant
quietæ res: quoniam moles Adriani, in qua regis
præſidium erat, obſidebatur: telaq́ꝫ, & machinæ per
urbem uolitabant, & metuebatur à regijs copijs.
Demum poſt aliquot menſes, & arx recepta eſt, &
pax cum rege ex ſuperioribus incurſationibus fa-
cta. Per hoc ipſum tempus Florentini Piſas cepe-
runt, iam pridem ab eis obſeſſas, & ad extremam fa-
mem perductas: de qua quidem re altius repetentes
pro illius cognitione dicemus. Piſanorum ciuitas
ſatis diu ſub dominatione Petri Gambacurtæ re-
quieuerat. Is fuit modeſti uir animi, & Florentini po
puli, ut in Piſanis, ualde amicus. Habuit uerò adiu-
torem rerum agendarum Iacobum Appianum ſcri-
bam, cæterum aſtutum hominem: qui cùm multos
per annos fideliter ei obſecutus eſſet, cunctaq́ꝫ etiam
ſecretiſsima, maximeq́ꝫ ardua tractaret, in eam pau-
latim aſcendens deuenit potentiam, ut etiam domi-
no ipſi formidabilis eſſet. Factionem enim ſibi non
contemnendam comparauerat in Piſanos, præſer-
tim eorum, qui non ſatis contenti præſente ciui-
tatis ſtatu uidebantur. Cùm itaqꝫ ſuſpitiones maio-
rem in modum creuiſſent, anteuenit Appianus, ac
Petro Gambacurta cum filijs interfecto, dominatio-
nem ſibi ciuitatis arripuit. huic poſt paucos annos

defun

defuncto Gerardus filius ſucceſsit. Qui cum non ſatis confideret Piſanos continere poſſe, eam urbem Galeatio Mediolanenſi tradidit, retenta Plumbini, & Iluæ inſulæ dominatione. Ita Piſana urbs in poteſtatem Mediolanenſis deuenerat. Moriens deinde Galeatius, Piſas Gabrieli filio ex concubina genito reliquit. Qui, quanquam eſſet admodum puer, ac ſub matre nobili muliere degeret: tamen triennio ferme poſt obitum patris eam urbem retinuit, tacito quodam conſenſu pace cum Florentinis recepta. Demum uerò diffidens illam tenere poſſe, grandi pecunia de Florentinis ſuſcepta, Piſas tradidit: ita ſecretò, ut prius in arcem præſidium Florentini populi receptum ſit, quàm quicquam ſentiretur. At Piſani ubi hæc reſciuerunt inuadentes confeſtim arma in arcem ipſam impetum fecere: tantaq́; fuit uis, atque procella, ut expugnatam celeriter arcem in ſuam redigerent poteſtatem, & populi Piſani nomine gubernare ciuitatem cœpere. Florentini autem delere ſuſceptam ignominiam uolentes, confeſtim eis intulerunt bellum. Maioribus denique paratis copijs, Piſas obſederunt. Poſt aliquot tandem menſes fame domita ciuitas, iugum ſuſcipere coacta eſt, Ioanne Gambacurta, quem Piſani ab exilio reuocatum ſibi præfecerant, ob extremam famem urbem dedente. Eo facto tantum creuit Florentini populi nomen, quantum non omnibus bellis ſuperioribus creuerat. Vrbs enim

æmula dudum potentiſsima, bello, obſidionéq; perdomita in eius deuenerat poteſtatem. Paulò poſt captas à Florentinis Piſas, Innocentius pontifex Romæ diem obiuit. Cardinales autem peractis circa funus ſolennibus ambigui fuerunt, num pontificem alium ſufficerēt in demortui locum, an magis ſuperſederent electione. Faciebat uero ambiguitatē, quòd principes Galliæ ueriti ne diuiſio eccleſiæ perpetua efficeretur, propontificem ſuum obligauerant ad pontificatum deponendum, ſi uel noſter pontifex ſe abdicaret: uel eo uita functo Cardinales noſtri electione ſuperſederent. Hæc enim uia redintegrandi, uniendíq; certiſsima uiſa fuerat. Nam iuris quidem diſceptatio nec iudicem habebat ullum, qui ſuperior eſſet, & inextricabiles alioqui continebat difficultates. Hac igitur uia placente cupiebant patres in electione pontificis ſuperſedere. Sed altera ex parte pericula magna, ſi ſuperſederetur, timebantur: cùm & dilatio longa neceſſariò interuentura foret: & nullo interim præſidente confuſio, atque ruina rerum formidaretur. Itaque mediam quandam uiam ſecuti patres eligere quidem ſtatuerunt: uerum ita obligare eum, qui eligeretur, ut ſe magis procuratorem ad deponendum pontificatum, quàm pontificem factum exiſtimare poſſet. Cautio in hunc modum adhibita: promiſit, iurauit & uouit unuſquiſq; patrum: idq; chirographo ſolenni inſcripſit: ſi pontificem eligi ſe contingat, depoſiturum ſe pontificatum

tum, ſi aduerſarius Pontifex idem faceret: idq́ ſtatim illi per literas ſignificaturum, & inuitaturum ad hoc ipſum faciendum: procuraturum inſuper omni uia, & modo, unitatem, idq́ bona fide, & ſine ulla fraude: promiſsionem, & uotum, & iuſiurandum, quod ipſe præſtitiſſet, omnibus regibus, principibusq́ per ſuas literas primo quoque tempore ſignificaturum, quò eos teſtes haberet obligationis ſuæ. Ea multis, ſolennibusq́ uerbis cùm in unum redegiſſent, & chirographa ſingulorum confecta eſſent, agitare poſthac de electione cœperunt. Vir quærebatur non tam peritia rerum gerendarum, quàm fide, integritateq́ idoneus. Quippe ad bene agendum in ea quidem re non calliditate conſilij, neque profundo arcanoq́ pectore: ſed bona uoluntate opus fore uidebatur. Ita animati cum ſingulos examinarent: tandem in Angelum Corrarium natione Venetum, mentem, conſenſumq́ omnes uerterunt. Is fuerat paulò antè opera Innocentij pontificis inter patres adſcitus, cum antea titulo tenus patriarcha Conſtantinopoleos haberetur, uir priſca ſeueritate, & ſanctimonia reuerendus. Is ergo conclaui egreſſus promiſsionem, uotum, & iuramentum, quæ priuatus fecerat, tunc in poteſtate conſtitutus iterato nouauit. Atque ita loquebatur de unione primo illo tempore, ut ſi cætera deeſſent, pedibus, & baculo ſe iturum ad eam conficiendam aſſeueraret: ſtatimq́ aduerſario ſcripſit benignè illum

illum ad pacem inuitans, & abdicationem mutuam
offerens. Aduerſarius autem tantiſdem fermè ſylla-
bis ad eum reſcripſit: eadem inuitatio fuit, eademq́;
cohortatio. Locus deinde neceſſarius uiſus eſt, in
quo & pontifices ipſi, & collegia conuenirent. Ad
hoc Saona pari conſenſu recepta fuit, urbs medio
fermè ſpatio conſtituta: & tam mari, quàm terra ac-
ceſsibilis. Proſperè huc uſque, & planè ex ſententia.
Deinde paulatim res labaſcere cœperunt, & cuncta
in dies deteriora fieri. Voluntas enim illa pontificis
recta, nequaquam ſatis habere firmitatis reperta eſt
ad pontificatum deponendum: cuius rei culpam
multi in propinquos eius referebant. Ab his enim
formidines inanes, & adumbrata pericula, quoti-
die fingi, ac inſtillari eius auribus prædicabant.
Quibus ille deterritus nec Saonam accedere uoluit,
altero pontifice ad conſtitutum tempus illic ſe exhi-
bente, & abſentiam eius incuſante: & in cæteris,
quæ facienda erant, difficilem ſe præbuit, & moro-
ſum. Roma tamen profectus eſt Senas: ibiq́; lon-
giora mora protracta, cùm ab uniuerſis incuſare-
tur, Lucam ſe tandem contulit: data rurſus inani
ſpe, quaſi cum aduerſario pontifice coiturus. Erat
in altero pontifice non melior ſanè mens: ſed occu-
lebat callidius malam uoluntatem: & quia noſter fu-
giebat, ipſe obuiam ire uidebatur. Itaque Saona
profectus in Veneris portum, atque inde (quò pro-
pior eſſet) Spediam uenerat. Sed cum de congreſſu

eorum per internuntios ageretur: noſter, tanquam terreſtre animal ad littus accedere: ille tanquam aquaticum, à mari diſcedere recuſabat. Cùm per hũc modum deſideria Chriſtianorum, qui pacem, unitatemq; optabant, in longum ducerentur: non tulerunt Cardinales noſtri: ſed deſerto pontifice Piſas abiere. Idq; auditum cum eſſet, alterius quoque pontificis Cardinales, deſerto illo, atque relicto, Liburnum aufugêre. Ibi congreſsi ſimul, ac paulò pòſt Piſis omnes recepti, concilium miſsis per orbem terrarum nuntijs, & literis aduocarunt. Gregorius interea Senas reuerſus, paulò pòſt Ariminum petijt. Ego pontificem ſecutus ſum, potius familiaritatis gratia: quàm quòd eius cauſam probarem. Quanquam fuit in Gregorio permagna uitæ, morumq; honeſtas, & priſca quædam (ut ita dixerim) bonitas: ſcripturarum quoque ſcientia & indagatio ſubtilis, & recta. Denique in cunctis fermè rebus mihi ſatisfaciebat, præterquàm in unionis negotio. Ego tamen, ut dixi, in cæterorum curialium fuga illum deſerere nolui: ſed & Senas, & Ariminum ſecutus, non prius ab eo diſceſsi, quàm graui præcepto ciuitatis meæ reuocatus ſum. Arimino per id tempus præerat Carolus Malateſta princeps illius familiæ. Huic uiro nihil deeſſe uidebatur ad excellentiam laudis: idem robuſtiſsimo ac pulcherrimo corpore: idem conſilij maximi, ac magnitudine animi penè immenſa: idem egregia liberalitate: idem

te: idem ſtudiorum, literarumq́; peritiſsimus. Cum hoc ego uiro familiaritatem maximam habui: nec tamen corrumpit me amicitia in laudibus eius recenſendis: quas maiores etiam merebatur, quàm à me prædicentur. Dum Arimini commoratur Gregorius, concilium Piſis continuò aſsiduè cogebatur: conuenitq́; tandem in eo loco multitudo ingens. Cunctarum uerò nationum conſenſu in eo cõcilio accuſati ſunt de colluſione pontifices ambo, & pontificatu priuati: & Alexander natione Gręcus ad pontificatum adſumptus. Per hæc tempora Ludouicus Andegauenſis filius eius Ludouici, quem cum Carolo de regno contendiſſe ſuprà ſcripſimus, Piſas ueniens conceſsionem regni Apuliæ ab Alexandro recepit. Nam Ladislaus cuncta effecerat, quò concilium impediret. Qua etiam de cauſa magno cum exercitu circa Aretium cõſederat, ſperans eam urbem per amicos paternos recipere, ac omnia turbare poſſe. Etenim erat alioqui unioni infeſtus. Romam certè, aliasq́; urbes poſt receſſum Gregorij nullo reſpectu eccleſiæ occuparat. Itaque Ludouicus cum exercitu noſtrorum cõtra Ladislaum miſſus eſt, cumq́; eo Baldaſar Coſſa ex latere legatus. Hæ copiæ quanquam ingentes, non multum profecerunt: & ferè circa urbem Romam commoratæ, nec ultrà progreſſæ irrito cœpto redierunt. Alexander uerò per autumni tempus abiens Piſis, Piſtorium conceſsit. Ibi hyeme tota commoratus, Bono-

niam petijt: nec multò pòſt Alexander moritur anno ferè poſtquam ſedere inceperat: in eiuſq́ locum Ioannes XXIII. aſſumitur. Hic, dum in minoribus erat, Baldaſar Coſſa nominabatur, ſancti Euſtachij diaconus Cardinalis, uir in temporalibus quidem magnus: in ſpiritualibus uerò nullus omnino, atque ineptus. Qui anno ferè poſt creationem ſuam Bononiæ commoratus, Romam tandem petere conſtituit. Fuerat enim illa prius aliquanto de Ladislai manibus extorta. Iter eius per agrum Florentinum, & Senenſem ad inferum mare: inde per Tarquinatem, & Ceretanum ad urbem fuit. Poſt hæc apparatus facti, miſſæq́ aduerſus Ladislaum copiæ: duces militiæ erant Paulus Vrſinus, & Sforzia. Aderat quoque Ludouicus Andegauenſis, cui poſſeſsio regni quærebatur: iam pridem ab Alexandro rex appellatus. Ab his commiſſo in finibus regni prælio, Ladislaus profligatur. Quòd ſi duces militię ſequi uictoriam aut ſciuiſſent, aut uoluiſſent: actum quidem erat de regno. Sed in morando, ac tempus terendo, recipiendi ſeſe, ac reparandi uires facultatem uicto regi dederunt. Vox fuit poſteà Ladislai, qua die profligatus eſt, ea die & ſui corporis, & totius regni poteſtatem in manibus hoſtium fuiſſe. Secunda uerò die corporis quidem ſui poteſtatem amiſiſſe: regni tamen adhuc dominos eſſe potuiſſe, ſi proſecuti uictoriam eſſent. Tertia uerò die nec iam ſui, nec regni capiendi habuiſſe poteſtatem: quo

quoniam aduerſus illorum uim remedia comparaſſet. Poſt hæc fortuna uaria fuit, ut modò pax inter Pontificem,& regem: modò bellum uigeret. Ad extremum uerò rupta pace, ac Paulo Vrſino cum pontificis copijs in Picentibus obſeſſo, pontifex Roma pulſus Florentiam uenit. Factiones magnæ per id tempus in Florentinis uigebant, alijs pontifici, alijs regi fauentibus. Ob eas factiones Pontifex intra urbem inuitatus non eſt: ſed in ſuburbano epiſcopi reſedit, curia tamen intra urbem recepta. Rex per hæc tempora urbem Romam, & alias omnes urbes uſque ad fines Senenſium, Florentinorumq́; occuparat. Qui cùm terribilis, ac præpotens eſſet: lateq́; per Italiam dominaretur: nec ulla reſiſtendi cerneretur ſpes: Ioannem Pontificem impulit ad externa, tranſalpinaq́; auxilia quærenda. Sigiſmundus per id temporis imperium ſuſceperat, Vincislao fratre turpiter adminiſtrante: ac omnium iam opinione principatu eius antiquato. Ad hunc igitur, cùm in finibus Italiæ eſſet, Ioannes pontifex legatos miſit duos ex Romanę eccleſiæ Cardinalibus, iam pridem tamen agitata inter eos re literis, & nuntijs. Vnicum quippe remedium & imperatori,& Pontifici uidebatur generale conciliũ aduocari. Sed erant circa hoc ipſum conſtituenda permulta, ceu locus, tempus, modus. Miſsi ſunt igitur his de cauſis ad ſignificandum legati. Horum miſsio legatorum ruinæ Pontificis initium fuit. Qua in re non uidetur

prætereundum mirabile quiddam, quod tunc acci-dit, ut omnia cœlitus gubernari cognoſcamus. Cõmunicauerat mecum pontifex arcanè mentem, & cogitationem ſuam. In loco, inquit, concilij rei ſumma eſt: nec ego alicubi eſſe uolo, ubi Imperator plus poſsit. Legatis igitur iſtis, qui à me mittuntur, mandata ampliſsima, poteſtatemq́ maximam ad honeſtatis ſpeciem dabo, quæ palàm oſtentare poſsint, atque proferre: ſecretò autem mandatum reſtringam ad loca certa. Enumerauit mihi ſubinde loca. Cum in hoc propoſito multos dies fuiſſet, tempus uenit, quo proficiſci legatos oportebat. Tunc remotis cæteris præter me unum, legatos ſecretò allocutus eſt: multisq́ uerbis cohortatus ad munus legationis diligentiſsimè obeundum: oſtendens quanti ponderis illa res eſſet, cuius rei gratia mitterentur. Deinde conuerſus ad beneuolentiam, cum eorum prudentiam, fidemq́ laudaret: ac melius illos cognoſcere quid factu opus eſſet, quàm ſe ipſum, dicebat. Dum iſta commemorat, atque inculcat, affectus ipſe beneuolentia, propoſitum diu cogitatum, momento temporis immutauit. Decreueram, inquit, loca quædam nominare, à quibus nullo modo diſcederetis: ſed in hoc temporis puncto ſententiam muto, ac ueſtræ prudentiæ cuncta permitto: uos quid mihi tutum, & quid formidandum cogitetis: chartulamq́, in qua ea loca ſcripta erant, in eorum conſpectu lacerauit abſque ulla alicuius loci nominatione,

natione. Legati igitur ad Sigiſmundum profecti, Conſtantiam pro loco concilij delegerunt urbem,& trāſalpinam,& Imperatori ſubiectam. Quod ſimul atq; intellexit Ioannes, incredibile, quantum indoluit,ſe ipſum,ac fortunam ſuā deteſtatus, quòd tam leuiter à cogitatione,ꝓpoſitoq́; illo priſtino reſtringendorꝝ locorꝝ deſciuiſſet. Sed uoluntatē Dei nemo uitare poteſt. Ioannes principio hyemis Florentia Bononiam abijt: nec multo pòſt congreſſum Sigiſmundi petens,in Galliā ciſalpinā profectus, Placentiæ primū cum illo congreditur: inde ad Laudēſem urbem profecti ambo menſe ferè toto in ea urbe fuere. Ex Laude tandem Cremonam petierunt. Conditio Galliæ ciſalpinæ mihi per id tempus non peſsima modò, uerum etiam miſerabilis uiſa eſt. Adeò quaſſatas urbes, ac regionem totam bello afflictam uaſtatamq́; offendimus. Dux Mediolanenſium erat Philippus Galeatij primi ducis filius. Is iuuenis tunc uelut ex longo principatus morbo uires reſumere incipiebat: necdum tantum poterat, ut cæteras urbes recuperare de manibus occupantium ualeret. Itaque ſingulis ferè ciuitatibus ſinguli dominabantur tyranni: ubique magna pars ciuium pulſa, aut necata: ubique uillæ, ædificiaq́; exuſta. Ioannes relicto apud Cremonam Imperatore, Mantuam petijt. In ea urbe paulò longius commoratus, tandem exacta hyeme tota, Bononiam redijt. Ea æſtate cum Bononiæ reſideret Ioannes, ſuſpenſis

omnium animis, & ad concilium ſe præparanti-
bus, Ladislaus Rex præter ſpem, expectationemq;
omnium moritur. Cum enim exercitu coacto ma-
gnis copijs Peruſiam uſque ueniſſet, Florentiniq;
conterriti, relicta Pontificis ſocietate per ſe ipſi re-
cepiſſent pacem, retro cedens Rex non ſatis bona
ualetudine Neapolim redijt: ibiq; poſt paucos dies
è uita migrauit. Eius mors Florentinos, cæteraſq;
liberas ciuitates magnis ſuſpitionibus, & manife-
ſtiſsimo, certiſsimoq; periculo liberauit. Nullum
enim diffugium erat eo uiuente: quin colla tandem
ſubmittenda fuiſſent, præſertim cum magna pars
ciuium iam tunc ad illum inclinaret. Pontifex ma-
ximè illius morte releuatus eſt, ut iam nil eſſet,
quod illum cogeret ad Sigiſmundum reſpicere. Sed
tamen quia concilium à Pontifice ſimul, Imperato-
req; in eorum congreſſu illo Gallicano ſolenniter
fuerat publicatum, & locus Conſtantiæ indictus,
tempuſq; præfixum, quo adeſſe oporteret, noluit
Pontifex promiſsis deeſſe. Itaque circiter Calend.
octobris Bononia mouens per Veronenſem, Tri-
dentinumq; agrum tranſmiſsis Alpibus Conſtantiã
acceſsit. Eò & Imperator uenit, & incredibili prin-
cipum, prælatorumq; frequentia concilium cele-
bratur: ut eſſent quandoque in eo loco equorum
ſupra triginta milia, ex quo multitudinem homi-
num licet coniectari. Diſcordiæ confeſtim inter Ioã-
nem Pontificem, Sigiſmundumq; exortæ, alterum

alteri

alteri ſuſpectum planè, inimicumq; reddidere. Quæ cum procederent longius, ac in dies magis pericu- la cernerentur, Ioannes clàm abire conſtituit: adiu- tus ad hoc, & planè inuitatus factione Maguntini archiepiſcopi, & Federici ducis Auſtriæ: qui cum Imperatori aduerſarentur, creſcere illius autorita- tem ex oppreſsione Pontificis condolebant. Ioãnes itaq;, cum iam amplius quatuor menſibus in conci- lio fuiſſet, tandem propter ſuſpitionem noctu inco- gnitus cum paucis comitibus fugiens, Schafuſiam abijt. Cardinalium nemo fuerat cõſcius. Secuti ſunt tamen poſtea plerique eorum ſub ſpecie reducendi, reconciliandiq;. Qui cùm nihil proficerent, uim con cilij uerentes Conſtantiam rediere. Ioannes autem Burgundiam petere feſtinans, iuſſu Federici ducis per uiam retẽtus, Imperatori traditur. Timuit enim magnitudinem rei Federicus: præſertim cum per id factum Imperatorem ſimul, & concilium in ſuam ruinam prouocaſſet. Itaque ex protectore proditor factus, reducere illum ac tradere conſtituit. Non tamen Conſtantiam reductus eſt: ſed alia per oppi- da captiuus detentus, ſeu ſponte, ſeu inuitus pon- tificatu ſe abdicauit. Lentum deinde negotium con- cilij fuit: cùm & corrigere in eccleſia permulta, ac tollere penitus ſchiſma niterentur. Viuebant enim adhuc Gregorius, & Benedictus, ambo nuper in Pi- ſano concilio dãnati. Gregorius in Picentibus conſti terat, & quanquam omnes populi, præter paucula

Malateſtarum oppida, ab eo deſciuiſſent: ipſe tamen ſe Pontificem nuncupabat. Is ergo Conſtantiam miſit, ſeq́ꝫ penitus abdicauit. Benedictus autem in Hiſpania conſiſtens, licet à cunctis deſtitutus, ſua tamẽ ſe pertinacia nutriebat. Hic ergo rurſus improbatus, ac damnatus eſt. Poſt multa concilij decreta, & longi temporis moram, ad creationem noui Pontificis intendentes, Cardinales, & nationes ſingulæ ex autoritate concilij Oddonem diaconum ad pontificatum delegerunt. Is fuit natione Romanus ex familia Columnenſium, uir antea nequaquam ſagax exiſtimatus, ſed benignus. In pontificatu tamen ita opinionem de ſe prius habitam redarguit, ut ſagacitas quidem in eo ſumma, benignitas uerò non ſuperflua, neque nimia reperiretur. Peracto demum concilio in Italiam reuerſus per fines Mediolanenſium, Mantuanorum, Ferrarienſium, Rauennatium, Foroliuienſium, Florentiam uenit, Bononiam uitans: quæ ſe per id tempus in libertatem uindicarat. Florentiæ biennium ferè reſedit, peropportuno loco ad rem eccleſię componendã. Nam & cum Braccio, qui eccleſiæ oppida permulta occuparat, opitulantibus Florentinis, concordiam fecit: illiusq́ꝫ poſt hæc fretus opera Bononiam redegit in ſuam poteſtatem, & cæteras urbes ubiq́ꝫ recepit: ex quo eius plurimum creuit autoritas. Per hæc ipſa tempora Ioannes, qui depoſitus Conſtantienſi fuerat concilio, Florentiam uenit. Magna profecto res,

ac mirabilis: quam paulò altius repetam pro eius cognitione. Ioannes poſt captiuitatem illam, & abdicationem in Bauaria carcere ſeruabatur. Erat autem ſcrupulus quidam apud multos, quoniam depoſitio, abdicatioq́ illius uiolenta fuerat, num iure ſubſiſteret. Quòd ſi illa dubia, Martini quoque electio in ambiguum ueniebat: quoniam non uacanti eccleſiæ prouideri de nouo paſtore non potuerit. Ob hunc timorem Martinus, & ſimul ne Germaniæ principes hoc habentes idolum, per eam occàſionem aliquid quandoque molirentur, redimendum Ioannem, & in Italiam reducendum prouidit. Igitur per hunc modum exemptus carcere, cùm in Galliam perueniſſet, conſilio Martini cognito (id erat ut Mantuæ perpetuo carcere teneretur) antequam Mantuam ueniret, rurſus aufugiens in Ligures abijt. Ibi cùm eſſet liber, àc ſui iuris, ſiue conſcientia ductus, ſiue quòd deſperabat aliquid proficere poſſe, ſponte ſua Florentiam uenit: & ſeſe pedibus Martini ſubijciens, eum ut Pontificem uerum, & unicum recognouit. In aduentu eius tota ciuitas obuiam profuſa multis lachrymis, & incredibili commiſeratione reſpexit hominem de tantæ dignitatis faſtigio in tantas calamitates prolapſum. Ipſe quoque miſerabili propè habitu incedebat. His omnibus commiſeratio populi augebatur. Suſceptus à Martino tandem intercesſione ciuitatis primus Cardinalis efficitur, nec annum integrum ſu-

 perſtes

perſtes, è uita migrauit. Martinus autem pace cum Braccio facta, cùm & oppida recepiſſet, ac omnia pacata uiderentur, Romam petere conſtituit. Nec ſatis beneuolo erga Florentinos animo decedere credebatur, carminibus quibuſdam, quæ de ſe uulgò circunferebantur, infenſus. Memini me non multis diebus antè, quàm abiret Martinus, in cubiculo eius fuiſſe, cùm unus, aut alter cubiculariorum adeſſent, præterea nemo: Ambulabat ille de bibliotheca ad feneſtram, quæ hortos reſpicit: Cum aliquot ſpatia tacitus confeciſſet, deflexit eueſtigio iter ad me: cumq; proxime ſe admouiſſet, porrecto in me uultu, brachioq; molliter elato, Martinus, inquit, Papa quadrantem non ualet. Atq; ego ſtatim uerba illa recognoſcens (erat enim cantilena, quæ de illo dicebatur Italica lingua, ſcilicet, Papa Martino non uale un quatrino) Quid eſt, inquam? num ad aures quoque tuas hæ puerorum nugæ peruenerunt? Ille uerò nihil ad hæc: ſed eodem ueſtigio conſiſtens iterato ſubiunxit; Martinus Papa quadrantem non ualet. Tunc ego manifeſtius deprehenſa illius infenſione animi (refricabat enim uerba de ſe uulgò cantata) ſtatui, ſi quà poſſem, pro ciuitatis honore uulneri eius mederi. Itaque, Cum alia nulla, inquam, ciuitas beatiſsime pater tibi, & Romanæ ſedi tantas commoditates, utilitatesq; attulerit: quantas, dum in ea reſediſti, Florentia contulit: nihil glorioſius, quàm pontificatus iſte tuus reperiri poterit.

Veniſti

Veniſti Florentiam, cum nihil temporalis dominij poſsideres, occupatis ubique per aduerſarios oppidis, Bononia quoque parêre abnuente, ut tibi neceſſarium fuerit, cum ex Ferraria Florentiam uenire uelles, per Rauennatem, & Foroliuienſem agrum longo ambitu iter deflectere. Te Florentiæ commorante, & cætera oppida in poteſtatem tuam redierunt, & Bononia ipſa, quam prius extulerat, ceruicem ſubmiſit. Contulit uerò ad hæc plurimũ opportunitas huius urbis, propterea quòd Braccius amicitiam, fidemq́ Florẽtini populi ſecutus, ad te uenire non dubitauit: & intercedente ciuitate, diſcordias omnes componere, atque oppida reddere: illiusq́ tu poſtmodum fretus opera Bononiam tibi parêre ui adhibita compuliſti: ut longè, lateq́ nunc tua potentia dominetur: Te inſuper Florentiæ commorante cùm proſpera ubiq́ de te, ac de ſedis tuæ loco circunferrentur: Cardinales ab Hiſpania deſerto Benedicto hunc ipſum ad locum uenientes, te ut uerũ, atq́ unicum Pontificem recognouerunt. Quo facto tres obedientiæ dudum ſeparatæ, in te uno conglutinatæ ſunt. Ad hæc duo incrementa hoc in loco ſuſcepta, tertium illud præſtantiſsimum, excellentiſsimumq́ omniũ felicitate mirabili cumulatur: quòd, qui dudum fuerat Ioannes Pontifex: de cuius depoſitione propter uim adhibitam multi dubitabant: & ſcrupulus quidam relinquebatur in mentibus: ſecuritate, atq́ fiducia huius loci Florentiã uenit, tibiq́

ſe ſp

ſe ſponte ſua ſubiecit, ac dominũ, & Pontificem ueriſsimum recognouit. Quo facto omnis penitus eſt ſcrupulus, ambiguitasq́ ſublata. Neq enim de ui illa adhibita ſolicitus eſſe quiſquam poteſt: cum ipſius uoluntaria in loco ſibi tutiſsimo ſit conſpecta ſubiectio. Et acceſsit, quòd paulò pòſt defunctus eſt, ut & admiratio, & querela, & (ut ita dixerim) fortunæ ludibrium tolleretur. Illud certè conſtat, nullo alio locò illum ad te uenturum fuiſſe, niſi in hac urbe: in qua permagnas amicitias priuatim, & publicè ſe habere ſentiebat. Hæc ſunt, pro quibus gratiam tuam Florentia promeretur: cuius uel opportunitate, uel obſequio, uel auſpicio tanta pontificatui tuo ſuper acceſſerint incrementa. Nam puerilibus quidem nugis aures admouere, &, quid ætas illa loquatur, attendere: uix tuę uidetur grauitatis. Martinus autem hæc audiens lætari admodum uiſus eſt: meq́ palàm multis uerbis laudauit, ac ueriſsima dicere cõſenſit. Quanti uerò feciſſet uerba mea, paulò pòſt oſtendit. Nam cùm abire ſtatuiſſet, uocato ad ſe Florentinorum magiſtratu, Valde obligor, inquit, huic ciuitati. Cognoſco enim quàm multa proſpera in illa, & per illam mihi contigerunt. Deinde illa ipſa enumerans eodem ordine, quo à me dicta fuerant, cuncta recenſuit. Florentia tandem abiens Martinus Romam ſe contulit: ibiq́ aliquot annos beatè regnauit. Præcipuè tamen poſt Braccij mortem eius creuit potentia. Braccius ipſe magnus profecto uir fuit. Nam

& dux

& dux rei militaris peritiſsimus habebatur, & ma-
gnitudine animi, conſilioq́ pollebat, & aderat ei
adumbrata quædam ciuili moderatione honeſtas.
Hic ex oppido Montone Peruſini agri nobilibus
admodum parentibus ortus, ſtatim ab adoleſcentia
rei militari ſe tradidit: multisq́ uulneribus, atq; la-
boribus peritiam tandem, autoritatemq́ boni ducis
eſt aſſecutus. Exulabat per id tempus Peruſina no-
bilitas ferè omnis: inter quos Braccius licet admo-
dum iuuenis, conſilio tamen, & autoritate princeps
habebatur. Denique uaria militia per Italiam acta,
multisq́ rebus geſtis in id potētiæ, autoritatisq́ ac-
creuerat, ut Peruſinos diuerſæ factionis, qui domi
erant, ui, & armis compulerit nobilitatem recipe-
re: ipſe uerò dominus Peruſinæ urbis à populo ſi-
mul ſit ac nobilitate delectus. Hinc ille magnificen-
tius uires extendere cœpit, ac multas ſubinde urbes
ſibi ſubditas facere, ut cùm uenit Florentiam Ponti-
fex, hic plurima poſsideret. Inita deinde cum Mar-
tino concordia, cum oppidorum partem dimiſiſſet,
partem concedente Martino retineret, nō diu tamē
in ea perſeuerauit. Erat per idem tempus Sfortia ma
gnus & ipſe profecto uir: & in quo rei militaris peri-
tiam alij maioēr eſſe, quàm in Braccio, alij parē exi-
ſtimabāt. Hic quoq; multas, ac magnas res geſſerat:
& per omnes militiæ gradus ad famæ, atque gloriæ
culmen aſcenderat. Inter hunc, & Braccium amicitia
tandiu fuit, quandiu minores utriq; fuerunt: auctos

F uero

uero atq; potentes æmulatio, atq; contentio irrita-uit. Itaq; & prælia nõnunquam inter ſe commiſere: & cum inflammati plurimum eſſent amboꝝ animi ad certamẽ, Sfortia in trãſitu fluminis Piſcariæ ſub-merſus perijt. Et Braccius paulò pòſt cũ Aquilã ur-bẽ obſideret, Martino copias ſuas, amicorumq; ad liberandã obſidione urbem ſubmittẽte, præter ſpem omniũ profligatur, atq; occiditur. Florẽtini per hoc tempus bellũ reſumpſerant aduerſus Philippũ ducẽ Mediolanenſium. Creuerat enim ille, ac uires pater-nas mirabili quadã felicitate reſumpſerat; & addide-rat ad paternã dominationẽ Genuã urbẽ. Cum ergo iam terra, mariq; formidabilis eſſet: ac magnos du-ces, magnumq; equitatum haberet, & circa Forum Liuij, Imolamq; ſe inſerere uideretur: ſuſceptũ ad-uerſus eum eſt bellum, miſſæq; à Florentinis copiæ apud Sagonaram profligantur. Philippi autem du-ces poſt uictoriam multa loca Florentinæ ditionis per Apenninũ montem occuparãt. Aduerſus hunc tumultum in dies creſcentem, Oddo Braccij filius: puer adhuc ſub gubernatione, atque cura Nicolai Picinini cum magna paternorum equitum manu conducitur: Qui Aretium primum, mox in agrum Mugellanum traducti hoſtiles impetus repreſſere: curſumq; eorum uictoriæ retardarunt. Sed poſt multa, atque egregia belli opera, cùm tandem in ſaltus difficiles ſe conieciſſent, circum Monam flu-uium profligantur: captuſq; Nicolaus Picininus

Fauen

Fauentiam ducitur. Nam Oddo in ipſa profligatione uulneratus obierat. Hinc uacillare ciuitatis res iterato cœpere, & in magno eſſe metu. Sed accidit percommodè Picinini captiuitas: quoniam Fauentinum dominum, in cuius manibus ipſe erat, ad nos traxit, conditionibus melioribus, utilioribusq́ oblatis. Itaq; ſecuta mox æſtate belli omnis impetus ad Fauentiam conſtitit. Copiæ Florentini populi intra urbem Fauentiam: aduerſariorum autem copiæ longè maiores ad Imolã, Forumq́ Liuij, circumq́ ea loca degebant: prælia q́ percrebra quotidie gerebantur ad ipſas prope Fauentiæ portas. Denique Fauentia eo anno murus noſtræ fuit ciuitatis. Nec enim dubium erat, quin omnis impetus belli Florentina in mœnia recaſurus fuiſſet, niſi Fauentia obſtitiſſet. Poſt longum certamen in agrum tandem Aretinum impetus belli redactus eſt ex huiuſmodi cauſa. Magiſtratus, qui pro Florentino populo Anglare oppidum gubernabat, ſperans ſibi lucrum fore, ſi ab ea parte turbationes concitarentur: Burgenſes quietos homines, nec hoſtile quicquam molientes, hoſtiliter ipſe inuaſit: uaſtatisq́ infeſtè agris, ac prædæ expoſitis, ſummis iniurijs eos affecit. Illi tam inſigniter læſi, nulla fuit mora, quin copias hoſtium ad ſe conuocarent. Hæ copiæ cum eò ueniſſent, cuncta circum Anglare ferro, igneq́ populatæ ſunt, & copias Florentini populi ſub ipſo oppido ſtantes perfregerunt. Per hunc modum

belli certamen, & impetus ex Fauentino agro in Aretinum redigitur. Nicolaus Picininus per hunc tumultum in Aretinos tractus, non ſatis bono animo eſſe uidebatur, & prædicabat obſequia ſua nequaquam grate à Florentinis eſſe ſuſcepta: Tempus uero ſtipendiorum ſuorum ad finem deueniſſe, ſe iam alia ſibi cogitare. Hæc ab eo palàm iactata interpretabantur homines, quaſi uellet ille conſueto hoc militantium more ſtipendia ſibi augeri: & uulgò iactabant ab amicis eius, qui non pauci Florentiæ, nec impotentes erant, hanc uiam oſtenſam illi, quò maiora conſequeretur. Ob hanc igitur opinionem nulla diligentia eſt adhibita, quò retineretur. Sed cùm finis ſtipendiorum ueniſſet, ſecedens in Cortonenſem, & Peruſinum agrum, paucis pòſt diebus ſe ad ſtipendia Mediolanenſis Ducis conductum oſtendit, Subindeq; coniunctus hoſtibus unà cum illis in agrum Aretinum regreſſus, Claſsium, & Caſtrum nouum, & Pontenanũ, & quicquid caſtellorum eſt inter Bibbienam, & Aretiũ cepit. Hic tumultus plurimum turbauit noſtrorũ mentes: nec ſolùm trepidare, uerum etiam diffidere, deſperareq; coëgit. Erat enim multitudo hoſtium ingens: noſtri autem perquam pauci, inſuper imparati, & fracti uidebantur. Cum ergo nõ immerito trepidaretur, ad Venetos reſpicere Florẽtini cœpere: exiſtimãtes illis quoq; formidãdũ eſſe Mediolanẽſis ducis opes uſq; adeo augeri. Nec falſa quidem erat exiſtimatio. Formida

midabant enim ac moleſtè ferebant, grauemq́ illius propinquitatē futuram putabant ciuitati ſuæ. Quibus rationibus ad ſocietatem trahebantur. Philippus uerò ubi hæc tractari ſenſit, ne coirent ſimul ciuitates, pacem obtulit Florentinis: prælata eſt tamen Venetorum ſocietas paci: cui non ſatis credendum homines arbitrabantur. Poſt eam ſocietatem contractam, repentè Brixiam urbem Veneti inuaſere. Quare conterritus Mediolanenſis Dux confeſtim reuocauit ex Hetruria copias. Florentini quoque bifariam partitis copijs earum partem in Galliam Ciſalpinam miſere, quò Venetis iungerentur: partem ad recuperanda caſtella Aretini agri prius amiſſa retinuere. Et caſtella quidem illa non ſine difficultate recuperata ſunt: & in Gallia proſperè bellum eſt geſtum. Brixia quoque tota cum arcibus in poteſtatem Venetorum deuenit. Pax deinde cum Mediolanenſi Duce facta: in qua inſuper Bergomum, & oppida quędam Venetis dimiſit. Pòſt non integro biennio decurſo, aliud rurſus bellum renaſcitur; longè periculoſius, quàm primum. Fluxit uerò ex huiuſmodi cauſa. Nicolaus Braccij ſororis filius cum aliqua equitum manu inter copias Florentini populi per Galliam militauerat. Hic finito bello in Hetruriam reuerſus, cùm ad cæterorum exemplar ſtipendia, utpote recepta pace, ipſi minuerentur: non tulit ille quidem, neque aſſenſus eſt: ſed per id ipſum tempus maiores ſibi copias parare con

 tendit,

tendit. Et uulgabatur illum in Vmbria, quoniam inde ipſi origo foret, aliquid eſſe moliturum. Cùm ergo ad aliquem modum auctus iam eſſet: repente in agrum Lucenſem profectus, regionem totam ſubita clade inuoluit. Lucenſibus per id tempus dominabatur Paulus Guiniſius: eratq; cum illo pax Florentinis. Odia tamen ſuberant, quòd proximo bello cum hoſte ſenſiſſe ferebatur. Filium certe cum equitatu ad eum miſerat: ea tamen lege, ne aduerſus Florentinos, Venetosq; bello gerendo adeſſet. Itaque etſi ignara ciuitate impetus erat factus: tamen quia cauſæ ſuberant, ac ex noſtris oppidis mouerant, ſuſpitionem præbuit, quaſi occulta ciuitatis opera factus impetus fuiſſet. Qua opinione multi noſtrorum his locis finitimi ad prædam, direptionemq; concurrerant: ut iam non integra res ciuitati, ſed cœpta quodammodo uideretur. Punire enim tranſgreſſores præ multitudine non licebat: & ſimul multitudo urbana mirabili ardore id bellum depoſcebat. Denique reiectis maioribus, grauioribusq;, qui diuerſa ſuadebant, concurſu multitudinis bellum ſuſcipitur. Quo facto, ſtatim permulta Lucenſis agri caſtella ſeſe Florentinis dedidere. Luca deinde obſeſſa, & aggere circundata, adeò uana ſpe, ut ſibi ſuaderent ſtulti quidam aqua per aggerem inundari poſſe. Id cum ſperare uanum eſſet, & in longum obſidio traheretur: ueniens demum Franciſcus Sfortiæ filius, Lucam obſidione liberauit

rauit: noſtris bono conſilio ad Librofactæ mœnia ſponte ſua ſe recipientibus. Hoſtes autem paulò pòſt circa Nebulam fluuium profecti Piſciam oppugnarunt, & Buggiam uicum ceperunt. Nec multò pòſt ipſe Paulus Guiniſius, qui Lucæ dominabatur, dolo ſuorum captus, Mediolanum tranſmittitur. Franciſcus autem Sfortia pecunia à Florentinis accepta Lucam deſtituit. Rurſus ergo maiori ui obſeſſa à Florentinis, cùm iam ad extremum deueniſſet: aduentu Nicolai Picinini obſeſſores profligantur. Miſsio Nicolai Picinini, & prius Franciſci Sfortiæ à Philippo Duce Mediolanenſi proceſſerat. Ob eamq́ rem reſumptum fuerat aduerſus eum bellum, flagitãtibus Florentinis, ut Veneti per Galliam Philippum adorirentur. Inter hæc Senenſes apertè defecerunt à Florentinis, iam pridem illis inſenſi ob Lucæ obſidionem: per quam nimia creſcendi, ac uicinis dominandi cupiditas deprchendebatur: ac ſuſpecta iam pridem illis erat ciuitatis potentia. Picininus ergo Piſanum, Florentinumq́ agrum inuadens, non prius deſtitit, quàm à Luca Senas uſque ſibi uiam aperuit: ipſe quoque eò profectus Staggiam obſedit. Inde in Aretinos ſpe proditionis tractus, cum detecta proditio eſſet, caſtella in his locis ſubita, improuiſaq́ ui complura cepit. Hoc bellum maximè attriuit Florẽtini populi opes, ac in ſummum diſcrimen adduxit: cum & Piſæ uix, & anxiè retentæ ſint in poteſtate: & omnia caſtella

 Piſani

Piſani, Volaterraniq́; agri fuerint amiſſa: & in Aretinis fluctuarent omnia; & in Florentino etiam agro caſtella quædam Senenſes occupaſſent: & intra urbem crebris, intolerabilibusq́; tributis ciues exinaniti, & ærarium penitus eſſet exhauſtum. Querelarum itaque plena erant omnia, ut fieri ſolet in populo malè ſuccedentibus rebus: nec quicquam erat odibilius, quàm ij ciues, quorum opera bellum Lucenſe fuerat ſuſceptum. Per Galliam quoque Ciſalpinam uaria eius belli fortuna modò Venetos, modò Mediolanenſem Ducem afflixit. Hoc feruente bello Sigiſmundus Imperator in Italiam uenit: nec magnas copias ſecum adduxit, utpote qui in Philippi Mediolanenſis potentia, opibusq́; fundamenta ſui tranſitus collocaſſet. In Gallia longiori mora per hyemem tracta, cùm Mediolani primum, deínde Parmæ deſediſſet: tandem ſecuta mox æſtate in Hetruriam tranſijt. Ob eius aduentum ciuitates erectis animis uel timore, uel ſpe ſuſpenſæ perſtabant, magnum profectò aliquid moliture. Sed imminuit eius autoritatē, quòd his ipſis diebus prȩmiſſi equites Philippi Mediolanenſis, magna ſtrage ab equitibus Florentini populi ſub Toporio oppido profligati ſunt. Qua noſtri uictoria elati, ubi ueniſſe in urbem Lucam Imperatorem cognouerunt, eò uadentes, ad ipſas propè portas poſuerunt caſtra, cunctaq́; circa urbem populati ſunt, intus manente Imperatore, ac prohibere uaſtationem nequeunte. Hæc

res

res & his, qui erigebantur ob eius aduentum, fiduciam eripuit: & his qui formidabant, metum ademit. Poſt hæc in agrum Senenſem traductis copiis, quò illic quoque uaſtarentur ſegetes, duces parum admodum circum ea loca commorati, in fines Aretinorum ſeſe receperunt, cauſantes commeatum Senenſi in agro ſibi deeſſe. Itaque per eorum abſentiam Imperator adeundi Senas facultatem nactus, eò feſtinauit: Senis aliquot menſes commoratus, tandem Romam profectus eſt de Pontificis uoluntate. Pontifex erat Eugenius quartus, natione Venetus: qui Martino defuncto in Pontificatu ſucceſſerat. Ab hoc Imperator ſolenniter coronatus eſt. Per hæc ipſa tempora pax recepta eſt cum Mediolanenſi Duce, ac bello finis impoſitus. Per eam pacem omnia caſtella reddita ſunt Florentinis, quæ in Piſano, Volaterrano, Aretinoq́ agro hoſtis cepiſſet. Hoſtibus quoque omnia caſtella Lucenſis agri, quæ prius ceperant Florentini, reddidere. Imperator demum Roma abiens per Tudertinum, & Peruſinum agrum profectus, Ariminum petiit. Inde per Rauennatem, ac Ferrarienſem, & Mantuanum trans Alpes abiuit. Et quidem tanta uarietate uel animi, uel fortunæ, ut inimiciſsimus Philippo Mediolanenſi abierit: cuius fauore, atque opibus Italiam intraſſet: Venetorum autem, quibus maxime inimicus uenerat, amiciſsimus recederet. Erga Florentinos quoque, licet apud Lucam grauiter ab his

offenſus,non inimico eſſe animo uiſus eſt: tentauitq́ in receſſu illo ſuo Florentiam uenire: ſed non recipiente populo aliud iter ſecutus in Germaniam rediit. Nec diu ſuperuixit. Nam triennio fermè poſt reditum eius in Vngaria defunctus eſt. Hunc principem nos Placentiæ primum uidimus in congreſſu illo Ioannis Romani Pontificis: & aliquem cum eo uſum, conuerſationemq́ habuimus, dum Laudæ, Cremonæq́ conſtitimus. Poſtea uerò Conſtantiæ magis naturam illius, moresq́ conſpeximus. Fuit autem proculdubio uir inclytus, pręclara facie, corpore tum ſpecioſo, tum robuſto, magnitudine animi ſiue pace, ſiue bello eximia, liberalitate uerò tanta, ut hoc unum illi uitio daretur, quòd largiendo, & erogando, ſibi ipſi facultates detraheret ad negotia, bellaq́ obeunda. Huic ſucceſsit in imperio, ac regno Vngariæ Albertus Dux Auſtriæ, qui nec ipſe diu uixit. Sed hæc poſtea facta ſunt: nos autem ad noſtra tempora reuertamur. Poſt eam pacem, de qua ſuprà diximus, Franciſcus Sfortiæ filius, qui cum equitatu apud Mediolanenſem Ducem militauerat, per ſpeciem alleuandæ militiæ dimiſſus, in Picentes deuenit. Ibi cum dedentia ſeſe oppida permulta ſuſcepiſſet, elatus ſucceſſu, iter in Apuliam ab initio deſtinatum omittere ſtatuit, ac circum ea loca uires extendere. Huius propinquitas Eugenium intra urbem Romam trepidare coëgit: & accedebat terrori, quòd Nicolaus Braccij ſororis

roris filius, qui modo ſub eo Pontifice militauerat, alienatus, atque infenſus Pontifici, quaſi eum opprimere dolo tentaſſet, magno tumultu Tibur occupauerat: indeq́ꝫ bellum Romæ grauiſsimum inferebat. Intra urbem uerò nihil ſani, neque pacati uidebatur: nec ſatis Eugenij proſpera fama: præſertim quia pontificatum tranquilliſsimum à Martino ſuſceptum, ipſe confeſtim magnis turbationibus inuoluiſſet. Concilium per id tempus Baſileæ cogebatur: & acceſſerant eò Cardinales quidam. Eugenius autem Romæ conſiſtens, magnis uexationibus premebatur: quibus tandem ex urbe Roma clàm fugere coactus, mari Piſas delatus, indeq́ꝫ Florentiam ueniens, aliquandiu in ea reſedit. Hoc quoque in loco multa ab eodem Pontifice tentata, haud ſatis quieti, & paci congruentia: & illud in primis, quod Bononienſes ui, & armis cogere in ſua imperia perrexit. Ex quo turbationes ortæ graues, ac penè in bella reditum. Bononienſes enim ab illo uexati, Mediolanenſis Ducis auxilia confeſtim uocauere: copijſq́ꝫ hinc inde coactis, noſter, Venetorumq́ꝫ equitatus Pontifici conceſſus non longe ab Imola urbe à Picinino profligantur: duxq́ꝫ copiarum Florentini populi Nicolaus Tolentinas Mediolanum captiuus tranſmittitur. Florentiæ quoque per hoc ipſum tempus uehemens in Repub. mutatio fuit: reductoq́ꝫ Coſmo Medice, & agnatis, qui ſuperiore anno fuerant expulſi, diuerſa factio ſatis magno nu-

mero in exilium agitur. Concordia deinde inter Eugenium, & Philippum Mediolanenſem ſecuta: Imolaq́ꝫ, & alia quædam Flaminiæ oppida Pontifici reſtituta. Stabilita quoque pax iterum: in qua Veneti, & Mediolanenſis Dux, & Florentini comprehēſi ſunt: eo pacto, ut ſi quis eorum alterum offenderet, cæteri omnes adiuuare eam partem, quæ offenſa foret, tenerentur. Hæc & ſolenniter facta, & plena maximæ ſpei durationem minimam habuere. Nam cùm haud multò pòſt Genua, quæ ſub Imperio Mediolanenſis Ducis erat, ab eo defeciſſet: Florentini, & Veneti uſq; adeo gratè id ſuſceperunt, ut non abſtinerent ab auxilijs præſtandis, quò Genuēſes in libertatem ſe magis aſſererent. Et ſanè potentia Mediolanenſis Ducis eximia, & animus extendendi Imperij cupidus infidam, ac ſuſpitioſam confœderationē reddiderant. Cauſa uerò rerū nouarū Genuenſibus fuit, quod cùm Aragonum regem nō procul Gaieta nauali prælio ſuperatum cum duobus fratribus, ac magna procerum multitudine cepiſſent: Dux Mediolanenſis eum regem, fratresq́ꝫ Mediolanum traductos, & humaniſsimè ſuſcepit, et liberaliſsimè dimiſit. Mirabili certè magnificētia fretus in duobus ſimul regibus, ac tot proceribus liberandis. Sed ea liberalitas amittendi Genuam cauſa fuit. Genuenſes enim uſq; adeò indignè tulerunt, regē ſibi inimicū abſq; ulla ſui ratiōe eſſe dimiſſum, ut Mediolanenſis Ducis iugo repulſo in libertatem

ſe uen

ſe uendicarent. Florentini uerò & annona primùm, & mox auxilijs militum eos iuuarunt. Per hoc ipſum ferè tempus baſilica Florentina ab Eugenio Papa ſolenniter dedicata fuit. Cuius rei cauſa pons ligneus incredibili celeritate, ac mirabili opere ædificatus eſt ab eccleſia prædicatorum, ubi Pontifex habitabat, ad ipſam baſilicam, quæ erat dedicanda. Is uero pons non ſolùm ad magnificentiam pertinuit, uerumetiam ad neceſsitatem. Tantus enim in ipſa dedicationis die concurſus hominum fuit ex agro, ac finitimis oppidis, & ex ipſa multitudine urbana, ut complerentur omnes aditus, omnesq́; uiæ: nec Pontifex cum ſuis Cardinalibus, & prælatis tranſire unquam præ nimia turba potuiſſet: niſi pons ad hoc ipſum ſuperiniectus uiam eis præbuiſſet. Incepit autem is pons à porta ipſa eccleſiæ prædicatorum, inde nouam plateam ſecans, uſque ad caput uiæ, quæ ducit ad eccleſiam ſanctæ Mariæ maioris, perq́; ipſam uiam ubique continuato ponte uſque ad templum Baptiſtæ, proximamq́; ſubinde baſilicam peruenit. Erat uero latitudo pontis circiter brachiorum quatuor: pedesq́; lignei tranſuerſa ſuſtentabāt tigna. Super his uero tabulata erant. A' lateribus uero columnæ paribus inter ſe diſtantes ſpatijs inſurgebant in altitudinem brachiorum ſeptem. Hæc ad pauimenti tigna infixæ alijs rurſus exilioribus tignis in extrema altitudine uinciebantur. Super his uela erant, quibus pons tegebatur

uniuerſus, cum papilionibus utrinque pendentibus: pauimentum rurſus ab utroque latere uſque ad zonam hominis aulæis erat munitus. Per hunc pontem incedens Pontifex, magna & ipſe pompa, magnoq́ꝫ ornatu, cum omnium Cardinalium, prælatorumq́ꝫ multitudine ad baſilicam peruenit, ſpectante populo de inferiore loco: & tantum pontis ornatum, ac tam uenerabilem pompam cum lætitia intuente. Haud multò poſt dedicationem hanc Eugenius Bononiam ſe tranſtulit: recepta iam pridem ea ciuitate poſt Mediolanēſis Ducis confœderationem. Luca deinde rurſus obſeſſa eſt à Florentinis ex eiuſcemodi cauſa. Venerant in agrum Lucenſem permagnæ equitum copiæ Philippi Mediolanenſis. Ducebat autem eas copias Picininus, petebatq́ꝫ à Florentinis, ut pacatè ſibi tranſire in Senenſium fines liceret. Florentini autem ſuſpicantes fraudem aliquam ſubeſſe, tranſitum negauerunt: ac, ne forte ui tranſire adorirentur, Franciſcum Sfortiam celeriter uocatum (erat enim Venetorum, Florentinorumq́ꝫ militiæ Dux) uenientibus oppoſuerunt. Initium hyemis erat, cùm hæc facta ſunt: ſtatimq́ꝫ eſt per uniuerſam hyemem ambigua pace, cum à noſtris fines agri Florentini, Piſaniq́ꝫ defenderentur: ab hoſtibus uerò circum ea loca deſidentibus ſuſpitiones magis, quàm apertum inferretur bellum. Serezanam tamen, & alia quædam Lucenſis agri caſtella per eam hyemem ceperunt hoſtes; & duo parua lo

ua loca in agro Piſano ad extremum occuparunt. Tranſacta demum hyeme noſtros maiori apparatu Piſis egreſſos non expectauerũt hoſtes. Erant enim afflicti longa hyemis militia: ſed trans Apenninum abeuntes, in Galliam ſe receperunt. Noſtri uerò receptis omnibus caſtellis primo amiſsis, quandoquidem materia deerat belli, Lucenſes inuadere conſtituerunt: eis ſuccẽſentes quòd hoſtibus auxilia præſtitiſſent; quodq́ eos commeatu, cæterisq́ rebus, quæ ſunt ad uſum belli, ſuſtentaſſent. Itaque contra Lucenſes uerſis ſignis cuncta fermè eorum caſtella ceperunt: & Lucam ipſam obſederunt, ut parua admodum, uel nulla ſpes euaſionis ſupereſſe uideretur. Nam hoſtium copiæ per ſuperiorem hyemem diutius in agro Lucenſi commoratæ, omne quaſi frumentum eius urbis conſumpſerant. Noua autem frumenta, prius quàm matureſcerent, noſtri uaſtarant. Quare in extremo conſtituta ciuitas frumenti defectu, peritura uidebatur. Nutriebat tamen eorum ſpem Nicolaus Picininus, qui ſe uenturum ad obſidionem ſoluendam minitabatur: & apparatus quoſdam ad oſtentationem faciebat. Cæterum ſocij magis, quàm hoſtes, Lucæ profuerunt. Veneti quidem antiqui ſocij, & Genuenſes nuper in ſocietatem recepti, bis, aut ter obſidionem interruperunt: cum aliâs Pontremulum, aliâs Parmam dux, & copiæ traducerentur. Id Florentini perindignè ferebant: atque ita alienationes quædam animorum exortæ

ſunt

ſunt inter Florentinos,& Venetos:iactabantq́ per- multi, Venetis non placere, ut Luca in Florentini populi poteſtatem deueniret. Ea ſuſpitio paulatim ſubcreſcens, diuidendæ ſocietatis cauſa fuit, præſer- tim poſtquam duci copiarum tranſire Padum recu- ſanti denegata penitus ſtipendia fuerunt à Venetis. Tunc enim quaſi deficiēte ſocietatis fide Franciſcus Sfortia de reconciliatione cum Mediolanenſi Duce agitare cœpit. Florentini autem, quò ſe uerterent, neſciebant. Venerat enim Picininus cum magnis co pijs per Flaminiam uſque ad Forum Popilij, quaſi inde in Hetruriam tranſiturus. Veneti autem ſpe- ctatores ſedebant otioſi: oratores noſtri Venetias miſsi non audiebantur. Ita cogente neceſsitate Flo- rentini reconciliationem ſecuti ſunt: & cum Lucen- ſibus pax ea conditione recepta, ut obſidio Lucæ ſolueretur; caſtella uerò, quæ ceperat Florentinus, retineret. His peractis Picininus ſtatim retro con- uerſus Forum Liuij,& Imolam, & Bononiam occu- pauit. Inde in Venetos tranſiens, omnes belli cla- des, quas Florentinis inferre parauerat, contra illos exercuit: multiſq́ oppidis Venetorum captis, tan- dem Brixiam obſedit: atq́ ita oppugnauit, ut mœ- nia urbis crebro tormentorum pulſu quibuſdam lo cis euerterentur. Hæc omnia mirabili celeritate Pi- cininus effecerat. Proxima deinde hyeme Eugenius Papa Florentiam redijt adducens ſecum Imperato- rem Græcorum. Quibus de rebus altius reſumpto
princ

principio eſt à nobis dicendum. Eugenius enim cum Florentia Bononiam ſe contuliſſet, de unione Græcorum agitare cœpit. Mota prius huiuſce rei mẽtio fuerat in concilio Baſilienſi: deinde ab Eugenio recepta procuratio eſt: quò Baſilienſis concilij autoritatem minueret. Itaq; Græci prius autoritate concilij permoti, cum ad eum uenire locum, in quo Papa, & cõciliũ foret, ſpopõdiſſent, indicto à Pontifice apud Ferrariam altero concilio, cum illuc Pontifex quoq; acceſsiſſet, Græcos eò pertraxit. Venerant enim iam Venetias Græci: qui etſi ab initio ambigui ſtarent propter Baſiliẽſium, Pontificisq; diſcordias, prȩter eorum ſpem apud noſtros repertas: tamen uiã Pontificis ad extremum ſecuti, Ferrariam ſe ad Pontificem cõtulere. Aliquot menſibus negotium unionis Ferrariæ agitatum cum eſſet: ſuperueniente peſte, Græci unà cum Pontifice Florentiam ſe transtulere: receptiq; benignè poſt aliquot menſes, quàm Florentiam uenerant, unitatem demum, & concordiam iniere, ſublatis quibuſdam circa fidem erroribus. Fuit autem numerus Græcorum, qui Florentiam uenerant, ſupra quingentos. In his uerò Imperator, & frater eius germanus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum multis Archiepiſcopis, & prælatis, multiq; cum Imperatore proceres, ſecularesq; inſignes uiri, ac literarum non ſacrarum modò, uerumetiam gentilium bene periti. Florentiæ dum eſſent Græci, redintegratio fœderis nouiter facta eſt

inter Florentinos, & Venetos. Picininus enim poſt Brixiam oppugnatam, tranſgreſſus Atheſim fluuium, circa Veronam, & Vicentiam terribilis imminebat. Capto Lignato, ac cæteris fermè omnibus illarum partium oppidis, nullum remedium fore uidebatur, quin Patauium uſque cuncta peruaderet. Hæc pericula Venetos permouerunt ad Florentinorum ſocietatem, quam paulò antè ſpreuerant, repetendam. Florentini quoque non inuiti in ſocietatem redierunt, exiſtimantes, ſi deletæ forent Venetorum opes, nequaquam ab ſe uictorem temperaturum. Ita coniunctio rurſus fit inter Venetos, & Florentinos: Franciſcusq; Sfortia Dux cum magnis copijs opera Florentinorum ad Venetos tranſgreſſus, curſum uictoriarum hoſtilium omnino repreſsit: eorumq; copias omnes trans Atheſim repulit. Secuta deinde permulta, ac præclara & circa Benacum lacum, & circa Veronæ recuperationem: quæ particulariter referre contra propoſitum eſſet noſtrum: cùm ſummam tantum rerum notemus, non hiſtoriam deſcribamus. Per hoc ipſum tempus à Baſilea nuntiabatur concilium, quod ibi diutius fuerat, priuato Eugenio, alterum Pontificem creauiſſe Amadeum Sabaudiæ Ducem. Id admirabile cunctis uidebatur tanti faſtigij principem dubio papatu ſe honorare uoluiſſe: cùm etiam certus papatus magna ſeruitus ſit exiſtimanda. Nos quæ ſequentur uidebimus. Cum per Hetruriam quies eſſet a

bello

bello, omniſq; hominum cura in Galliam Ciſalpinam eſſet conuerſa: Nicolaus Picininus in medio feruore Gallici belli relicta Gallia, magnas ſuorum copias in Hetruriã rapuit. Cumq; tranſmiſſo Apennini iugo in agrum Mugellanum deſcendiſſet, magnum terrorem intulit noſtris. Agmina ſuorum latronum ritu, uſque propè ad conſpectum urbis diſcurrebant. Fœda trepidatione, & fuga circum urbem omnia complebantur: intra urbem uerò magnæ ſuſpitiones erant, tum quòd infima plebs caritate annonæ premebatur, tum etiam quòd præſenti Reipub. ſtatu non omnes pariter ciues gaudebant. Erat uerò tota urbs plena colonorum, & agricolarum, cum coniugibus, & liberis, ac rapta ex hoſtibus ſupellectile fugientium: bouesq;, & pecora uias omnes urbis compleuerãt. In hoc ergo tumultu Decemuir iterum creatus ſum ad curam belli gerendi. Geſſeram enim ſuperiori æſtate eundem magiſtratum per id tempus: quo reconciliatio facta eſt inter Florentinos, & Venetos. Sed premente ciuitatem maximo diſcrimine ob repentinum hoſtium aduentum, rurſus decreto populi Florẽtini Decemuir creatus fui, cum præſtantiſsimis quibuſdam uiris. Neq; enim tunc imminens periculum mediocres homines depoſcebat: ſed qui tantarum rerum molẽ perferre animo, & gubernare conſilio idonei eſſent: propterea data opera eſt, ut quoad fieri poſſet, optimi ſumerẽtur. Hoſtes cum aliquot dies circa Politia-

num ſtetiſſent, tandem ex Mugellano in Caſentinatẽ agrum tranſierunt: quod quidem eorum factũ mentes noſtras ualde ſubleuauit. Formidabamus enim ne per Marinum fluuium ductis copijs inter Pratũ, & Florentiam deſcenderent: ubi & commeatum habere potuiſſent, & impedire tranſmiſsionem frumẽti, quod à Piſis, atq; emporio Florentiã uehebatur. Nam ad cætera quoq; pericula frumenti indigentia per id tempus acceſſerat. Picininus igitur ſiue nõ intellexerit, ſiue non auſus fuerit, hac opportunitate relicta, in Caſentinatẽ copias duxit, loca montana, & ſaltuoſa, & remotiora ab urbe: qua quidem in re ſecutus eſt (ut putant) conſilium, & ſuaſionem Franciſci Comitis Puppij ſecretò illum uocantis. Vbi ergo in Caſentinatem peruenit, Bibbienam, & Romenam cepit: & Franciſcus Comes cum Puppio, cæteriſq; caſtellis ſuis ad eum defecit, commeatuq; adiuuit. Inde ad caſtellum Sancti Nicolai poſitis caſtris, menſe integro circa illud deſedit. Poſtquam uerò id quoq; ſuſcepit, ad Raſsinam conſtitit. Nos per hoc tempus caſtellum Sancti Nicolai paulò antè amiſſum recepimus, quæ quidem res aduerſariorũ mentes plurimum fregit. Munitiſsimũ enim caſtellum, quod ipſi tormentis, & machinis uix uno menſe integro expugnarant, recuperatum à nobis intra paucos dies obſtupeſcebant. Iamq; ex hoc noſtri meliore ſpe, illi deteriore cœperunt eſſe. Inter hæc Florentinis auxilia ſuperuenerunt, ex Gallia equites

ad ſeptingentos, ex agro Piceno totidem: quos ducebat Michelottus: ex Flaminia Petrus Iampaulus Vrſinus cum aliqua manu redierat: pedites uerò conduxerat ciuitas ſuprà quatuor millia: expectabantur prætereà Eugenij copiæ. Erant uerò hæ ſupra duo millia equitum: quæ cùm circa Aretium ſe noſtris coniunxiſſent, ualidi iam ac reſiſtere parati, ad Anglare oppidum duxerunt. Nam Picininus ſuſcepta in deditionem Raſsina, ad Burgum copias duxerat. Itaque illis in locis noſtræ copiæ hoſtibus oppoſitæ cōſtitere. Non proſequar ſingulos actus. Nam id quidem (ut ſæpius iam diximus) hiſtoriæ foret. Picininus Burgum tenebat: inde Tifernum occupare tentauit: mox Peruſium adijt: eamq́ urbem celeriter in ſuos fauores conuertit: poſtea Tortonam per proditionem capere niſus eſt. Hæc omnia celeriter admodum fecit: inde ad noſtros reuerſus inter Tifernum, & Burgum cum exercitu conſtitit. Noſtri hoſtium præſentiam ueriti, caſtra, quæ prius erant longius, ad ipſa Anglaris mœnia coniunxerunt. Ea ſignificatio timoris audaciam Picinini adauxit. Itaque non multis poſt hæc diebus repentè ſuperueniens totis copijs noſtros inuaſit. Duæ res admodum noſtros iuuabant: una quòd ſub ipſo oppido prælium committebatur loco percommodo ſibi, hoſtibus aduerſo: altera quòd hoſtes ex caſtris ſuis armati uenientes propter maximos calores ipſi, & equi defeſsi prælium inibant: no

ſtri recentes,& tunc primum ſumptis armis,equiſq; prœliabantur. Itaq; tandem ſuperatus Picininus omnes ferè copias amiſit: ipſe uix, & anxiè ad Burgum ſe cum paucis recepit. Vexilla omnia exercitus hoſtium à noſtris capta, & Florentiam relata. Præterea tentoria, & cætera omnia, quæ fuerunt in hoſtium caſtris, noſtri cepere. Ex equitibus autem hoſtium pauci admodũ euaſerunt. Capti ſunt etiam ex Burgenſibus ſupra mille ducentos: qui fiduciam Picinini ſecuti,quem uictorem fore haud dubiè credebant, populariter exierant in noſtros. Sed qui alios capere ſperabant, ipſi capti ſunt. Denique hæc maxima fuit uictoria,finem bello impoſitura, ſi noſtri ſequi eam uoluiſſent. Sed nec dux erat unus,cui omnes parerent, nec militum cunctorum idem animus.Itaq; ad Burgum ducere,& Picininum circunſedêre differentes, ſpatium abeundi illi dederunt. Tertia demum poſt pugnam die profecti, cum ille iam abiiſſet,ad Burgum duxere: Burgumq; ipſum, & Monterchium, & Valliallam in deditionem ceperunt. Fuit autem hæc uictoria apud Anglare oppidum parta tertio Calend. Iulii, quadrageſimo anno ſupra mille quadringentos. Poſt hæc nos cum alia militum manu Bibbienam,& Romenam, ac cætera prius amiſſa, faciliter recuperauimus. Caſtella uerò, quæ Comitum fuerãt,cæteraſq; arces per Caſentinatem obſideri fecimus. Maximum tamen circa Puppium fuit certamen. Oppidum enim nobile,

natura,

natura, manuq́ munitum, & defenſoribus plenum, haud facilè expugnabatur: niſi defectus rei frumentariæ nos adiuuiſſet. Puppienſes enim iubente domino frumentum omne uetus Picinino, & ſuis tradiderant. Noua autem frumenta per bellum, & obſidionem colligere non potuerant. Ita deficiente ſpe Puppium deditur. Leoninum cum Mignario, cum Battifolle, & Prato ueteri, ac cæteris omnibus caſtellis, quę comitum fuerant, in poteſtatem noſtram uenerunt. Totum deniq; Caſentinum, quod nondum fuerat Florentini populi, in magiſtratu noſtro, noſtræ ciuitati ſubiecimus. Ita ex turbulentiſsima tempeſtate, qua creati fueramus, res proſperæ, lætæq́ ſunt ad extremum ſecutæ cum ingenti gloria & exaltatione ciuitatis.

FINIS.

Leonardi Aretini com MENTARIORVM RERVM GRAECARVM ad Angelum Acciaiolum Equitem Florentinum liber.

ANIMADVERTI nonnunquam, ò Angele, te admirari ſolere meam, ut ita dixerim, cunctationem, ac tarditatem, quoties aut de ſuſcipiendo bello conſultatur, aut de his rebus, quas bellum ſit faciliter ſecuturum. Ego autem, ſi quid eſt in me tale, illud uolo ſcias non tam ex natura mihi prouenire, quàm ex eo, quia multa legiſſe mihi uideor, per quarum rerum memoriam, atq; exempla, cunctationes omnes, atque pericula reformido. Nulla enim fuit unquam ciuitas, neque tam aucta opibus, neq; tam florens, quæ non ex paruis interdum erratis in maxima inciderit pericula ſtatus ſui. Nonnullæ etiam ex hoc ipſo in extremam ruinam deuenerunt. Quare ſi cunctatores, & tardi: ſi deniq; timidi, ac diffidentes in huiuſmodi rebus, aut tibi aut cæteris uiſi ſumus: eam ſcias cauſam fuiſſe, quòd

exem

exempla me reuocant, & deterrent ab omni protinus dimicatione. Equidem ciuitati beatæ, atq; felici quietem maximè complectēdam puto: & quò melius ſtat, eò minus fortunam experiendam: quæ mutabilitate gaudere dicitur. Sed eſt id quidem (ut opinor) non tam fortunæ culpa, quàm ſtultitiæ noſtræ. Homines enim neq; à doctrina inſtituti, neque ingenio, uoluntateq; moderati, multum nocuerunt hactenus, & nocebūt ſuis ciuitatibus. Maiori enim ſpiritu, quàm prudentia, Rempub. gubernantes, neque fines rerum, neq; pericula metiuntur. Atq; ego his cōſiderationibus inductus, tibi Commentarium rerum Græcarum ſcripſi (malo enim aliorum errores narrare, quàm noſtros) in quibus uidebis potentiſsimarum Græciæ ciuitatum, quæ latiſsimè dominabantur, uarios caſus, atq; ruinas, & mirificas fortunæ conuerſiones. Aggreſſus uerò ſum nō omnem hiſtoriam: ſed eam ſolummodo partem, quæ pertinet ad Græciæ principatum: in qua primum Athenienſium, mox Lacedæmoniorum, inde Thebanorum caſus referentur, uſq; ad Epaminundæ præſtantiſsimi Ducis mortem: & uictoriam illam memorabilem apud Mantineam partam: per quam principatus Græciæ Lacedæmonijs ademptus eſt, cū ipſi primò illum Athenienſibus ademiſſent. Vt autem ſeriem rerum breuiter attingamus, Bellum fuit longiſsimum, ac maximum inter Lacedæmonios, & Athenienſes; cœptum quidem per ea tempora, qui-

bus Pericles Athenis princeps erat ciuitatis: apud Lacedæmonios uerò Archidamus regnabat. Id bellum per annos uiginti & octo uaria ſpe, dubioq́ꝫ euentu geſtum, cùm modò hi, modò illi ſuperiores haberentur. Tandem Athenienſes ſuperati, non modo autoritatem, uerumetiam libertatem amiſere.

Incipiemus ergo ferè ab extremo huius belli tempore, quo apud Argyruſas primò, mox apud Lampſacum nauali prælio certatum eſt. Ex illo enim tempore declinare Athenienſium res, & ad ruinam tendere cœperunt. Hoc autem nobis commodiſsimum narrandi principium eſſe uidetur, ad eas res, quas docere uolumus, oſtendendas. Dicemus igitur hinc ſumpto initio.

NARRATIO.

ATHENIENSES, ſimulac Mithylenam obſideri à Lacedæmonijs nuntiatum eſt: ferre auxilium properantes, centum & decem nauibus tumultuariè cõpletis, in Samum nauigarunt. Ibi coactis alijs, uel ſociorum, uel ciuitatis nauibus, tota ſimul claſſe ad hoſtem contenderunt. Habuit autem Athenienſium claſsis ſupra centum quinquaginta naues. Callicratidas uerò Lacedæmonioꝝ præfectus, ubi aduẽtare illos cognouit, Etheonico legato ad obſidionẽ urgẽdam relicto, ipſe cum centum uiginti nauibus obuiã profectus, apud Argyruſas

gyruſas claſſem Atheniẽſium offendit. Eam cùm per noctem inuadere ſtatuiſſet (neq; enim hoſtes aduẽtum eius cognouerant) magnis imbribus, ac terribiliſsimis fulgoribus prohibitus, ab incepto deſtitit. Sub primã demũ lucem ſeſe mutuo conſpiciẽtes, ad pugnã deuenere. In ea pugna poſt longum certamẽ Lacedæmonij ſuperantur. Callicratidas præfectus interijt; & ſupra naues ſeptuaginta ex claſſe Lacedęmoniorũ periere. Nec Athenienſibus incruenta fuit uictoria. Nam eorũ uigintiquinque naues cum ipſis pugnatoribus fractæ, ac ſubmerſæ ſunt. Poſt eam pugnam Athenienſium præfecti, Theramene, ac Thraſybulo, cum quadraginta nauibus ad colligenda ſuorum corpora, qui prælio interierant, relictis, ipſi cum reliqua claſſe Mithylenam petere perrexerunt: quò eos, qui in caſtris erant, Lacedæmonios opprimerent: ſed uentus inſurgens hæc utraque fieri prohibuit. Itaque in Argyruſas reuerſi, trophæum ibi ſtatuerunt. Inter hæc qui in caſtris apud Mithylenam relicti erant, cognito ſuorum caſu deſerta obſidione, ſe in tutum receperunt. Quare paulò pòſt eò profecti Athenienſes non ualuerunt eos nanciſci: tamen liberatam obſidione urbem repe rientes, hoſtes uerò terra quoq; metu diſperſos, ac fugatos, proſperè ubiq; geſta re ingenti lætitia exultabant. Præfectos huius claſsis poſt tantam uictoriã Athenas reuerſos, quidam accuſarunt, quòd corpora ciuium in prælio defunctorum colligere neglexiſ-

ſent. Erãt uerò hi præfecti ſex: Pericles, Diomedon, Lyſias, Ariſtocrates, Traſylus, Eraſinidas: qui cum ex uinculis (ſic enim lex iubebat) cauſam dicere cogerentur: ſe quidem Traſybulo, & Therameni idoneis hominibus, quorum iam uterq; præfectus claſſis fuiſſet, negotium mandaſſe dicebant, cùm ipſi ad perſequendas hoſtium reliquias Mithylenam properarent. Ad hæc probanda teſtes adduxerant gubernatores, & nautas. Per hunc ſe modum excuſantes multitudini ſuadebant uſque adeò, ut prima ſtatim concio abſoluere eos uoluerit. Sed grauem, infeſtumq; aduerſarium habebant Theramenem. Formidabat enim, ſi illi culpa carere uiſi eſſent, ne in ſe, ac Thraſybulum crimen referretur. Itaque eo annitente, in aliam concionem differre placuit. Nam tunc iam crepuſculum erat: nec manus, quas porrigere mos eſt Græcis in decernendo, ſatis diſcernebantur. Inter hæc ſuperuenerunt feſta: dies quæ ἀπατούρια Græci uocant: Ad ea defunctorum bello ciuium parentes, cognatiq; conueniunt. In quibus Theramenes, eiuſq; amici multos homines ſubmiſerunt nigras habentes ueſtes, ac facies plagis lugubriter conſciſſos: qui defunctos prælio (utpote propinqui) deplorarent, & inſepultos lamentarentur. Per hunc modum inuidia in reos conflata, rurſus aduocata concio eſt, & cauſam dicere iuſsi, qui accuſabantur: decreto conſilij recitato, ut per ſingulas tribus binæ ponerent̃ urnę,

abſoluendi una, altera damnandi. Si plures damnarent, quàm abſoluerent, pœnam fore mortem, ac publicationem bonorum. Interceſſere nonnulli aduerſus id decretum, utpote rem iniquam, & nouam. Sed hi rurſus multitudinis, ac ſeditioſorum uocibus exagitati ab incepto deſtiterunt, præter unum Socratem Sophroniſci filium: qui cùm eſſet præfectus ſuæ tribus, & decretum improbaret, atque reprehenderet, nullo terrore de ſententia iuſti, honeſtiꝗ; potuit amoueri. Tandem uerò fortiſsimi uiri, paulò antè uictores hoſtium, malignitate ciuium ſuorum damnati, necantur. Altero dehinc anno, Archita Sparthæ, Alexio Athenis magiſtratum gerentibus: Lyſander dux Lacedæmoniorum Epheſi conſiſtens, Etheonicum cum his copijs, quas circum Mithylenam habuerat, ad ſe uocauit: ac cæteras naues, quæ ex prælio aufugerant, collegit: ac inſuper nouas in Antandro fabricari fecit: quarum rerum gratia ad Cyrum, qui tunc erat Sardis, profectus, pecunias petijt. Cyrus autem regias quidem pecunias iam pridem fuiſſe conſumptas oſtendit: docens, quantas cuiꝗ; præfecto claſsis Lacedæmoniorum tradidiſſet: ſed tamen Lyſandro ſe dare uelle. Suſceptis igitur pecunijs Lyſander claſſem inſtruxit: & nautis, militibusꝗ; ſtipendium ſoluit. Athenienſes quoque per hoc ipſum tempus claſſem apud Samum parauerant. Præerant autem claſsi Conon, & Adymãthus, & Philocles. Inter hæc Per-

ſarum rex aduerſa ualetudine laborans, Cyrum fi-
lium ad ſe uocauit in Medos. Qui cùm abire ſta-
tuiſſet, accerſito ad ſe Lyſandro, beneficijs, quæ in
Lacedæmonios contuliſſet, memoratis, hortatus eſt
ad res præclarè gerendas, curamq́ꝫ belli, & reditus
pecuniarum omnium per Ioniam, & Lydiam, & Ca-
riam illi reliquit. Lyſander igitur poſt Cyri receſ-
ſum, ſtipendio iterum militibus perſoluto in Cera-
micum ſinum nauigauit. Ibi Cedrias urbem Athe-
nienſium ſociam, atque amicam, expugnare aggreſ-
ſus: cum eam ui cepiſſet, diripiendam militibus con-
ceſsit. Inde Rhodum petijt. Athenienſes quoqꝫ ex
Samo profecti, Aſiæ oram pluribus locis hoſtiliter
inuaſerunt. Circa Chium, & Epheſum nauigantes,
& ad pugnam naualem ſe præparantes, ad priorum
præfectorum numerum tres inſuper præfectos ad-
iunxerunt, Menandrum, Tydeum, & Cephiſodo-
tum. Inter hæc Lyſander ab Rhodo profectus, iuxtà
Ioniæ littus in Helleſpontum nauigauit. Athenien-
ſes uerò ex Chio uitantes Aſiæ oram, quæ ſibi ini-
mica erat, obliquis itineribus Helleſpontum petie-
re. Lyſander Abydum prius, inde Lampſacum ue-
nit. Erant enim Lampſaceni Athenienſium ſocij,
atque amici. Quamobrem claſſe quidem mari, Aby-
denis autem terra Lampſacum aggreſsis expugna-
tam demum urbem Lyſander cepit; ac militibus
diripiendam conceſsit. Erat enim diuitijs referta,
& omnibus rebus admodum copioſa; libera tamen
corp

corpora Lyſander inuiolata eſſe iuſsit. Athenienſes iter hoſtium cōſecuti in Cheronneſum uenerūt, claſſem habentes nauium centumoctoginta. In eo cùm eſſent loco, captum ab hoſtibus Lampſacum audiuerunt. Quare properantes Seſtum primò, inde ad Cupræ flumina nauigarunt. Is locus eſt in conſpectu Lampſaci ex oppoſito protinus littore.

Maris autem latitudo eſt in his locis ſtadia circiter quindecim. Cum ergo propinquæ eſſent claſſes: Lyſander altera mox die prima luce corpora curare, ac naues conſcendere milites iubet: cumq́ue omnia quaſi pugnaturus paraſſet: contra ſpem omnium intra portus munimenta naues continuit. Athenienſes uerò prope Lampſacum profecti magno pugnandi ardore contra portum ipſum aciem ſtruxerunt, nullam facturi moram, quin prælio decerneretur. Sed cùm Lyſander à pugna ſuos contineret, ac magna pars diei iam præterijſſet: abeuntes retro ad Cupræ flumina redierunt. Lyſander uelociſsimis nauibus poſt Athenienſes miſsis, quid agerent in eorum reditu ſpeculari iuſsit, & ad ſe referre. Ipſe uerò ut erat ſtructus, paratusq́ue earum reditum expectauit: nec quenquam prius è nauibus deſcendere paſſus eſt, quàm illæ reuerſæ, quid agerent hoſtes, renunciaſſent. Hoc eòdem modo fecit quatuor diebus continuis, cùm & manè completis nauibus ſe pugnaturum ſimularet: & Athenienſes contra portum ipſum ſtructa claſſe pugnaturi adeſſent: &

Lyſan

Lyſandro pugnam detractante, demum reuerterentur. Erat tunc Alcibiades in Cheronneſo, qui pauló ante id tempus ab exilio domum reuocatus, ac dux copiarum factus, cum magnas res terra, mariq́ꝫ geſſiſſet, iterum contracta aduerſus populum offenſa in oppido ſuo in Cheronneſo degebat. Is ergo cùm è mœnibus intueretur Athenienſes quidem non ad urbem aliquam, ſed nudo in littore ſtationem habere, commeatumq́ꝫ ab Seſto petere: quod aberat ab ſtatione nauium duobus ferè paſſuum millibus: hoſtes uerò in portu, & ad urbem cuncta opportuna habentem conſiſtere: ueniens ad præfectos claſsis periculum oſtendit: hortatusq́ꝫ eſt, ut ex Cupræ fluuijs Seſtum abirent. Habebitis, inquit, ibi portum, & urbem: in quo conſiſtentes loco pugnabitis ueſtro, non hoſtium nutu. Præfecti autem, ac maxime Tydeus, & Menander abire Alcibiadem iuſſerunt: nunc enim ſe præfectos, ac duces eſſe, non illum: itaque bellum ſuo, non illius arbitratu gerere uelle. Alcibiades ergo his dictis abiuit. Lyſander uerò cùm quinta iam die idem feciſſet: ac poſt expectationem pugnæ Athenienſes abirent: iuſsit ſpeculatorijs nauibus, quæ de more illos ſequebantur, ut cùm deſcendiſſe Athenienſes, ac diſperſos per littus uiderent, è medio curſu de malo nauis clypeum ſuſpenderent. Id enim fore ſignum ad rem gerendam. Athenienſes multo magis per ſingulos dies, quia detractabatur pugna, hoſtem contemnentes, ſtatim ut de

ut de nauibus deſcẽderunt, per Cheronneſum ſparguntur: alij ad commeatum petendum ex Seſto, alij ad alias res peragendas. Tum ſpeculatoriæ naues, ut præceptum fuerat, reuertuntur: cumq; in medio eſſent freto, clypeum extollunt. Lyſander uerò conſpecto ſigno celeriter cum tota claſſe delatus, naues Athenienſium alias omnino uacuas, alias ſemiplenas in ipſo littore nactus oppreſsit. Interea quoque magnam partem hominũ cepit, præterquàm ſiqui eorum in proxima oppida refugerũt. Ita uictoriam maximam, pleniſsimamq; adeptus eſt. Capti ſunt etiam ex præfectis Athenienſium Philocles & Adymãthus. Nam Conon cum octo nauibus ex illo tumultu aufugit. Captiuos omnes, & claſſem Lyſander Lampſacum duxit. Poſt hæc ſocijs in conſilium uocatis, quid agendum foret de captiuis conſultatum, aſpereq; in Athenienſes dictæ ſententiæ, eorumq; ſæuitia plurimum accuſata: quòd ſuperbè, crudeliterq; in eos, quos ipſi ceperãt, Græcos egiſſent: & quòd publico ſtatuiſſent decreto, ſi uincerent, dexteram ſingulorum captiuorum manum incidere: & quòd paulò antè duabus triremibus, quarum altera Corinthiorum, altera Andriorum fuerat, captis, uiros omnes præcipites deiecerant, ac ſubmerſerant. Philocles fuerat huius ſæuitiæ autor. Obiecta ſunt Athenienſibus & alia permulta: tandemq; cenſuerunt ſocij, cunctos Athenienſes captiuos eſſe necandos, præter Adymantum, quem

conſtabat nuper in concione decreto illi de inciden- dis captiuorum manibus contradixiſſe. Lyſander igitur Philoclem ad ſe perductũ interrogauit, quid pati dignus foret is, qui Græcorum in corpora ſæ- uiendi initium dediſſet: ipſumq́ꝫ primùm in ſuo con ſpectu mactari iuſsit. Triremis una tantæ cladis nuntia continuato nauigandi curſu tandem Athe- nas peruenit. Erat nox, cum portum ingreſſa eſt. Statimq́ꝫ uociferatio, & gemitus ex Piræeo per lon- ga mœnia in urbem delatus, cuncta terrore, deſpe- rationeq́ꝫ repleuit: nec eorum modò, qui in claſſe perierant: ſed multo magis ſe ipſos deplorabant, illa formidantes, expectanteſq́ꝫ, quæ ipſi crudeli- ter in multas Græcorum ciuitates effeciſſent. Et ea quidem nox inſomnis peracta eſt. Poſtridie uerò concione habita, portus omnes, uno duntaxat reli- cto, obſtruere decreuerunt: Præterea urbis mœnia curare, & cuſtodes imponere, & cuncta alia parare ad obſidionem perferendam. Et Athenis quidem hæc agebãtur. Lyſander uerò expeditis apud Lam- pſacum rebus, Bizantium, & Chalcidoniam naui- gauit. Vtraque ciuitas illum ſponte recepit. Di- miſsis incolumibus Athenienſium præſidijs. Mi- thylena deinde, cunctæq́ꝫ urbes, & inſulæ ab Athe- nienſibus defecere: partim dimiſsis præſidijs Athe- nienſium: partim in Lyſandri manus illis traditis: præter Samum, quæ in tanto terrore perſeuerauit in partibus: ac nobilitate omni, quia cum Lacedæ-

monijs ſentire uidebatur, oppreſſa aduerſatricem ſe Lyſandro pertinaciſsimè obtulit. Lyſander igitur ab Helleſponto cum ducentis nauibus profectus, Athenas petere contendit. Cùm uerò in propinquo iam eſſet, captiuos omnes dimiſit: ita ut nuſquã aliò, quàm Athenas abirent, cogitans, quòd quantò maior fuerit multitudo obſeſſa, tantò celerius fame laborabunt. Ipſe ergo cum tota claſſe ſocijs naualibus contra Piræeum ſtetit: ex alia uerò parte Agis Lacedæmoniorum rex cum terreſtribus copijs in Academia poſuit caſtra. Ita ſimul terra, mariq; obſeſſa urbs, ab hoſtibus premebatur. Athenienſes igitur in his difficultatibus conſtituti, quò ſe uerterent, neſciebant. Neq; enim naues habebant, quibus adverſus tantam uim niti poſſent: neq; ſocius quiſquã eis remanſerat. Præterea defectus frumenti aderat, nec importandi ulla facultas: ueniebatq; deſperatio ingens propter multa, quæ ipſi prius contra homines paruarum ciuitatum ſuperbè, crudeliterq; effecerant, non alia de cauſa, quàm quòd cum Lacedæmonijs in bello ſenſiſſent. In has itaque formidines conſtituti obſidionem tolerabant. Quinetiam decreto publico uetuerant loqui licere de pace, aut de conuentionibus ullis cum hoſte: niſi ſalua libertate Athenienſis populi, & incolumibus ciuitatis mœnibus. Nã fama erat conſtituiſſe Lacedæmonios mœnia Athenarũ diruere. Poſt aliquot mẽſes, cùm extrema iam fames adeſſet, multiq; perirent ob fru-

menti defectum, uicta demũ pertinacia, oratores de pace ad Agim Lacedæmoniorum regem miſerunt: petentes uti mœnia urbis Piræeumq́ retinẽtibus in ſocietatem Lacedæmoniorum uenire liceret. Agis uerò negans huius rei poteſtatẽ habere ſe, Lacedæmona ire iuſsit. Ea cùm legati domũ renuntiaſſent, Lacedæmona miſsi ſunt. Cumq́ Selaſiam perueniſſent, qui eſt proximus Laconicæ locus, interrogati, qualia petituri uenirent: cùm talia eſſe dicerent, qualia penes Agim prius dixerant: reuerti eos domum Ephori iuſſerunt: & ſi pace indigerent, conſideratius uenirẽt. Legati igitur domum reuerſi cum iſta retuliſſent: ceciderũt cunctorũ animi, extremã cladem ſibi, urbiq́ adeſſe formidantes. Necabat uerò multos quotidie fames. Contra decretum autem nemo conſulere audebat. Profectus erat iam pridem Theramenes ad Lyſandrum pollicitus in concione, ſi eò mitteretur, faciliter deprehendere poſſe utrum delere urbem uellent Lacedæmonij, an gratia fidei, ac ſecuritatis mœnia dirui poſtularent. Miſſus igitur iſta de cauſa Theramenes, aſtuto conſilio mora longius protracta, tempus expectabat, quo aures populi Athenienſis ad audiendum ſaniora cõſilia placatiores eſſent. Id uerò fore arbitrabatũ, cùm acrius fame premerentũ. Cùm ergo id tẽpus ueniſſet, rediẽs tũc in urbẽ Theramenes, in cõcione, inquit, detentũ ſe diutius à Lyſandro: tandẽ uerò reſpõſum accepiſſe, ſi qd uelit, Lacedæmonẽ ad Ephoros iret. Nam eorũ, quæ petita

petita eſſent, ſe poteſtatē non habere. Per hunc modum legati decem à populo delecti, rurſus Lacedæmona mittuntur: quorum unus Theramenes fuit. Hi cùm Selaſiam ueniſſent, interrogati, quid afferrent: cum plena poteſtate ad pacem petendam ſe uenire dixerunt. Ita Lacedæmona introire iuſsi, cum eadem illa expoſuiſſent: conſilio ſociorum aduocato, quid agendum foret à Lacedæmonijs conſultabatur. In ea conſultatione Corinthij, & Thebani maxime, & alij quidam ſociorum omnes conditiones repudiandas, penitusq; delendas Athenas cenſebant. Si enim ſtare ciuitas illa ſineretur, quamuis nunc afflicta uideatur, atq; diſiecta: tamen ſitus bonitate futurum, ut iterato in potentiam formidabilem ſibi, periculoſamq; euadat. Commemorabatur inſuper Athenienſium ſuperbia, atq; ſæuitia: quam per ſuperioris temporis potentiam contra minores ciuitates edidiſſent. Quibus de cauſis delendam penitus eam ciuitatem ſuadebant. At Lacedæmonij nequaquam ſe paſſuros dixerunt, ut ciuitas, quæ dudum tantas utilitates in maximis Græciæ periculis attuliſſet, deleretur. Atque ita pax Athenienſibus data his conditionibus, ut longa mœnia, quæ ab urbe ad portum quaſi brachia quædam extendebantur, diruerentur: utq; naues, præterquàm duodecim, quas retinere liceret, omnes Lacedæmonijs traderentur: exules omnes reciperent: eoſdem amicos, hoſtesq;, quos Lacedæmonij, putarent: ſe

qui Athenienſes terra, mariq́ quocunque Lacedæmonijs placeret ducere. Theramenes, ac cæteri legati hæc reportantes, cùm Athenas rediſſent, confeſtim multitudo populi in eos circunſtitit ſollicita, atque timens, ne re infecta reuerſi forent. Neque enim amplius tolerare licebat ob multitudinem eorum, qui fame necabantur. Poſtridie uerò concione aduocata Theramenes uerba fecit. Erat enim orator, & facundia eminebat. Qui cum oſtendiſſet quibus conditionibus Lacedæmonij pacem darent, exhortationem ſuperaddidit, ſuadens ut pacem, qualis daretur, reciperent: ac mœnia potius, ſeruato ab interitu populo, dirui ſinerent: quàm populum ſimul, ac mœnia eodem caſu interire paterentur: Satis diu etiam ſupra fidem, expectationemq́ hominum difficultates omnes toleraſſe: Satisfactum eſſe dignitati Athenienſis populi: nunc iam de conſeruatione cogitandum, ac miſerendum ciuium, qui fame interirent. Contradicentibus autem quibuſdam ciuium, ſed multo pluribus approbantibus, pax tandem iudicio populi recepta eſt. Poſt hæc Lyſander in Piræeum uenit, exulesq́ reduxit: & longa mœnia celeri opere diruta ſunt. Forma quoque reipub. gubernandæ mutata, delectis triginta uiris ad leges conſcribendas: quibus in poſterum ciuitas uteretur. Hi fuerunt omnes ex eo numero, qui Lacedæmoniorum amici putabantur: præcipui uerò inter hos Critias & Theramenes. His peractis Lyſander

ſander mari cum claſſe, Agis uerò terra cum exercitu, abierunt: finisq́ue fuit eius anni: in quo Dionyſius Hermocratis filius tyrannidem Syracuſis primùm obtinuit, uictis magno prælio Carthaginenſibus, & Agrigento urbe obſeſſa, ob defectumq́ue frumenti ad extremum capta. Sequitur alter annus, in quo uicit olimpia Crocinas Theſſalus: Euodio Spartæ, Pythodoro Athenis magiſtratum gerentibus. Hunc annum Athenienſes uocant ἀναρχίαν, id eſt, ut nos Romano more loquentes diceremus, interregnum. Neque enim ut magiſtratum nominare uoluerunt: quoniam à triginta illis uiris pernicioſis fuerat conſtitutus: de quorum geſtis paulò pòſt à nobis dicetur. Lyſander cum è Piræeo nauigaſſet, rectà Samum petijt. Ea nanque urbs ſola reſtabat, quæ diuerſas partes ſectaretur: & poſt uictos Athenienſes pulſa, cæſaq́ue nobilitate, quòd ad Lacedæmonios inclinare uidebatur, cõtumacius, infeſtiusq́ue perſeuerabat in partibus. Ad eos ergo domitandos Lyſander profectus, urbem obſedit: ac demum oppugnando, urgendoq́ue eò neceſsitatis adduxit, ut dedita urbe cum ſingulis ueſtimentis abire paciſcerentur. Lyſander urbem, & cuncta in ea relicta ei parti ciuium, qui prius fuerant pulſi, tradidit. Demum iam confecto planè bello, ſocios nauales dimiſit. Ipſe uerò cum Laconicis duntaxat nauibus Lacedæmona petere contendit: exceptus ſummo gaudio, utpote apud quem belli confecti gloria non ambiguè

biguè foret. Retulit in publicum argenti quadringenta ſeptuaginta talenta ex conſignatione, quæ ſibi ſupererant. Retulit & captarum nauium roſtra, & naues omnes Athenienſium ex pactione ſibi deditas. Coronarum inſuper aurearum magnum numerum, quibus fuerat donatus. Atque ita finis Peloponneſiaco bello impoſitus eſt uigeſimo octauo anno, & ſexto menſe, poſtquam cœptum fuerat.

Athenis uerò triginta uiri ad rempub. inſtituendam electi, cùm ab initio magnam de ſe, legibusq́ ſuis expectationem dediſſent: procraſtinando, ac differendo rem in longum protrahebant. Ipſi uerò planè dominantes, pro arbitrio gubernabant: ac primò ſeditioſum quenque, atque improbum, qui dudum in populari licentia calumnias aduerſum bonos exercuerāt, mactare cœperunt, non modò non repugnante, uerum etiam plaudente ciuitate. Deinde cùm iam improbi deeſſent, contra bonos, innocentesq́ manus uertere: ac omnino id moliri, ut ciuitatem in ſua retinerent poteſtate. Cuius rei gratia duo ex ipſis triginta uiris Aeſchynes, & Ariſtoteles Lacedæmona miſsi, Lyſandro ſuaſerunt, ut ſibi adiutor eſſet, quò præfectum aliquem cum præſidio militum Lacedæmonij Athenas mitterent, qui urbi præeſſet, quoad ipſi pernicioſis hominibus, ac diuerſa ſentientibus, ciuitatem purgarent, ac rempub. in formam probabilem conſtituerent. Stipendium uerò his, qui mitterentur, præfecto, militibusq́, da-

turos

turos ſe polliciti ſunt. Lyſandro igitur adiutore impetrarunt, ut Caliuius Spartiata præſidium habens militum Athenas mitteretur. Cùm id præſidium ſuſcepiſſent, maiora iam audentes, arma ciuibus ademerunt, præterquam ijs, qui ſuæ factionis erant. Hi autem in catalogo deſcripti ad tria hominum millia fuere. Quibus peractis iam ſecuri, ac neminem protinus formidantes, nullum poſthac modum habuerũt in ciuibus necãdis, aut pellẽdis, quos uel priuatũ alicuius odium, uel rapinarũ ſpes tollendos è medio ſuaderent. Hanc tandẽ improbitatẽ primus omniũ Theramenes improbare auſus eſt: nam cæteri metu ſilere cogebantur. Theramenes uerò, quòd erat ex triginta uiris, collegas monere, obteſtariq́ primus cœpit, ut ab hac improba gubernatione deſiſterent. Deniq́ redarguens ſingula, atque carpens, moleſtus tandem eſſe cœpit: & quaſi non eadem ſentiret, ſuſpitionem contraxit. Itaque collegæ primo alius alibi conqueri, & calumnias iacere, ac uti cauerent hominem diuerſa ſentientem, monere. Ad extremum uocato ſuorum conſilio, ac data opera, ut adoleſcentes audaciſsimi cum gladijs adeſſent: cùm Theramenes uocatus in conſilium ueniſſet, aſſurgens Critias in hunc modum locutus eſt: Si cui ueſtrum ò uiri, qui in conſilio adeſtis, forſan uidetur plures ciuiũ per hoc tempus interiſſe, quàm oporteat: illud ſecum reputet: quia ubicunq́ ſtatus ciuitatis mutatur, hæc eadem, quæ nunc apud nos

L fiunt

fiunt,conſueuerunt & alibi neceſſariò fieri. Pluri-
mos uerò hoſtes habere rationabile eſt, qui ſtatum
ciuitatis ex gubernatione multitudinis ad paucos
traducunt: cumq́ſit ciuitas noſtra populoſiſsima
Græcarum omnium ciuitatum, & longiſsimo tem-
pore libertati aſſueta,neceſſe eſt plura huiuſmodi in
ea cõtingere. Nos uerò intelligentes quàm inimi-
cum ſit rationibus ueſtris, ſi popularis ſtatus in hac
urbe reuiuiſcat:intelligẽtes etiã quia Lacedæmonijs
ſeruatoribus noſtris populus quidem nunquam fo-
ret amicus: præſtantes autem uiri ſemper in eorũ fi-
de,amicitiaq́ perſiſtent:ex illorũ ſententia hanc con-
ſtituimus Reipub. formã.Et,ſi quẽ ſcimus huic con-
ſtitutioni aduerſantẽ,eum,tanquã impedimentũ ſa-
lutis noſtræ,de medio tollere compellimur. Multo
tamen maximè nobis iuſtũ uidetur, ſiquis ex noſtro
corpore hanc ipſam gubernãdi formã à nobis cõſti-
tutã delere pergat, eum pœnas dare debere. Com-
pertum uerò habemus Theramenẽ hũc,quibuſcun-
que poteſt modis,nos ſimul, ac uos euertere conari.
Quòd autem uera dicam,cõſiderantibus eius opera
manifeſtiſsimè apparebit. Cõſtat enim neq; impro-
bari ab ullo magis præſentẽ Reipub. ſtatum, quàm
ab ipſo Theramene: neque magis aduerſari nobis,
quoties aliquẽ ex aduerſarijs tollere de medio,ac re-
mouere properamus. Si ergo ab initio hæc eadem
ſentiebat,hoſtis quidẽ iam tũc fuit ſtatus noſtri: non
tamẽ improbus appellari uerè potuiſſet. Nunc aũt
cum

cum ipſe princeps fuerit, & autor fidei, amicitiæq́ cũ Lacedæmonijs ineundæ: cùm ipſe idẽ populi diſſoluendi ſuaſor: cũ idẽ impulſor maximus noſtri ad ſupplicia ciuiũ: uidẽs nunc tandẽ nos apertè populo inimicos eſſe factos, negat ſibi placere quæ fiunt: uidelicet ut ipſe in tuto ſit, nos uerò eorum, quæ facta ſunt, inuidiã ſubeamus. Quare nõ ut hoſtis modò, uerũ etiã ut ꝓditor noſtri, ac ueſtrum digno ſupplicio affici mereret̃. Atqui tanto quòd pernicioſior eſt proditor, q̃ hoſtis, quãto difficilius eſt cauere ab occulta, q̃ ab aperta peſte: tanto infeſtior, quãto hoſtes quidẽ & pacant̃ quãdoq;, & fides eis habet̃: proditori aũt nec pacari quiſquã uult, neq; fidẽ poſthac adhibere. Vt aũt uideatis quia hæc nõ noua ſunt in eo, ſed iampridẽ natura proditor eſt: cõmemorabo uobis iſtius acta. Hic ab initio apud populum honoratus, quòd erat ſibi paternũ, ut popularis haberet̃: maximus impulſor fuit, ut ſtatu populari dep̃ſſo, quadringẽti illi crearent̃ ad Rempub. gubernãdã: fuitq́ ipſe in eo numero quodãmodo princeps. Deinde cũ uideret eam rem ad paucorꝝ potẽtiã ex eo ipſo quadringentorꝝ numero declinare: Dux rurſus populo fuit ad ſtatũ popularẽ cõtra quadringẽtorꝝ potentiã aſſerendũ. Vnde cothurni cognomentũ huic inditũ fuit. Nam cothurnus utriq; pedi cõgruere uidetur: & ab utroq; tamen diſſentit. Oportet autẽ ò Theramenes uirum, qui dignus ſit uita, non id meditari, quo ſocios in pericula impellat: & ſi quid contrà in-

cidat, ſtatim mutari: ſed tanquam in naui laborare, quò recta uia feratur. Quòd ſi quid obſiſtat: tamen ut illuc perueniat, unà cum alijs adniti. Sunt autem omnes Rerumpublicarum mutationes morti adnexæ. Tu uerò toties mori dignus, quoties de populari ſtatu in paucorum gubernationem: ac rurſus ex gubernatione rei paucorum ad popularem ſtatum propter inconſtantiam, & inquietudinem animi tui mutare ciuitatem ſtuduiſti. Præterea hic eſt, iudices, cui cùm mandatum fuiſſet à ducibus ſuis ciuium corpora nauali prælio defunctorum colligere, id prætermiſit, atque neglexit: moxq́ duces ipſos ſuos calumnijs perſecutus, fortiſsimos uiros, ac paulò antè maximi prælij uictores, condemnari à populo, ac ultimo ſupplicio necari fecit, quò uidelicet ipſe, millies perire dignus, ſeruaret. Quiſquis uerò ad ſe ipſum, atq; ad commodum propriũ ſui cuncta, quæ agit, referre deprenſus eſt, nec ullam curã honeſtatis, amicorumq́ habere: quomodo huic parendum foret, aut quomodo ab eo non cauendũ, ne, quæ dudũ effecit, rurſus nunc efficere cõtra uos, ſtatumq́ ueſtrum poſsit? Nos ergo hunc deferimus ad uos, & tanquã inſidiantẽ, & tanquã ꝓditorẽ: idq́ quàm rectè faciamus, attendite. Optimã quidẽ eſſe Lacedæmoniorum gubernandi formam nõ dubitatis. Quòd ſi illam aliquis Ephorûm mutare aggrediatur, & uituperare quæ aguntur, & aduerſari dum fiunt: non'ne putatis illum ab Ephoris ipſis

collegis

collegis ſuis, et à tota ciuitate morte eſſe mulctandũ.
Et uos ergo, ſi ſapitis, non huic, ſed uobis ipſis proſpicietis. Nam hic ſi euaſerit, multis alijs faciet animos diuerſa ſentientibus. Damnatus uerò eorum omnium, qui ſunt intra urbem, & eorum, qui pulſi ſunt, ſpem amputabit. Ea cùm dixiſſet Critias conſedit. Theramenes uerò aſſurgens: Equidem, inquit, ò uiri, qui in conſilio eſtis, ad illud reſpondebo, quod poſtremo mihi fuit loco à Critia obiectũ.

Dixit enim præfectos claſsis à me circunuentos ultimo ſupplicio damnari feciſſe. Ego autem nec ab initio accuſaui eos, nec principium illius cauſæ à me eſt introductum: ſed cùm ab alijs accuſati præfecti, pro excuſatione ſua adducerent, mihi demandaſſe ciuium corpora, qui nauali pugna interierant, colligere: & à me uis tempeſtatis, per quam non colligere modò illa, ſed ne nauigare quidem potuiſſe adduceretur: uiſus ſum Athenienſibus rectè dicere, & illud imputare illis: qui fatentes corpora defunctorum prælio ciuium colligi poſſe, ad alia loca nauigaſſent. Nec tamen admiror Critiam iſta neſcire. Nam cùm hæc Athenis facta ſunt, in Theſſalia degebat apud Promitheum, popularem ſtatum conſtituens: ubi ſeruos, & agricolas contra dominos per tumultum, ac ſeditionem concitauit: & quæ iſte in Theſſalia effecit, dij hinc repellant. Illud uerò ipſe fateor: ſi quis ſtatum hunc mutare aggrediatur, & aduerſarijs faueat: eum ma-

xima ſupplicia promereri. Sed quis ſit is, qui hæc agit, uos ex operibus ipſis iudicare debetis. Ego enim quouſq; uos in præſentem reipub. ſtatum conſtitueremini, quouſque magiſtratus, poteſtatesq; uobis committerentur, quouſque peſsimi ſine controuerſia homines ueſtris ſententijs ſubijcerentur, eadem ſenſi. Sed poſtquam iſti cœperunt uiros optimos opprimere: ex eo incepi diuerſa ſentire.

Sciebam enim quia Leunte Salaminio interfecto, uiro certè bono, & innocente, ſimiles illius omnes in metu conſtituerentur: metuentes uerò contraria ſentirent gubernationi noſtræ. Cognoſcebam quia Nicerato homine locupletiſsimo, qui nec ipſe, neq; ſui cum populo unquam ſenſerant, oppreſſo, pares, ac ſimiles illius uobis inimici fierent. Antiphonte quoque à uobis interfecto, qui duas triremes ad bellum conferebat: ſciebam omnes, qui eius gradus forent, in maximas ſuſpitiones inciſuros. Contradixi & cùm homines noui ſingulis ſinguli opprimendi traditi ſunt, ſciens per huiuſmodi oppreſsionē cunctos incolas nobis inimicos fore. Contradixi et cùm arma populo ademiſtis, non exiſtimans oportere, ut ciuitas inermis, imbecillaq; efficeretur. Neque enim Lacedæmonios conſpexeram ea de cauſa nos ſeruare uoluiſſe, quò imbecilles facti, nihil eos iuuare poſſemus. Licebat quippe illis, ſi id cenſuiſſent, ciuitatem totam delere, uel modico inſuper tempore fame perimentes: neq; conductorum militum præſidium

ſidium habere placuit, cum liceret tot ex ciuibus noſtris nobis coniungere, ut nihil formidare haberemus. Denique cum uiderem permultos præſenti ciuitatis ſtatui infenſos, permultos ciuitate pulſos, non placuit rurſus mihi, neq; Thraſybulum, neque Anytum, neque Alcibiadem pellendo, cum exulibus eos coniungere. Intelligebam enim quantum robur illis acceſſurum foret, ſi multitudini exulum duces, quaſi de induſtria, præberemus. Hæc ergo qui palàm, & in aperto monuit: utrum beneuolus conſeruator præſentis reipub. ſtatus, an proditor eſt exiſtimandus? Non enim qui inimicorum numerum augeri uetant, hi robuſtos faciunt hoſtes: ſed multò magis hi, qui per iniurias, & rapinas, & cędes innocentium, numerum hoſtium adaugent. Quod ſi non aliunde, hinc intelligere poteſtis. Vtrum exiſtimatis Thraſybulum, & Anytum, & alios exules fieri maluiſſe? Hæc'ne quæ ſuadebam, an illa, quæ iſti fecerunt, & faciunt? Equidem puto nihil magis eos optare, quàm quotidie ſocios, adiutoresq; ſibi coniungi. Quòd ſi ciues nobis retinere ſtuduiſſemus, deſperationem reditus ſibi propoſitam exiſtimarent. Quæ uerò de inconſtantia mea dixit Critias, ad ea quæſo, dum reſpondebo, attendite.

Quadringentorum poteſtatem populus ipſe decreuit, cùm pacem iam optaret: ac ſibi ſuaſum eſſet, Lacedæmonios omni magis gubernationi, quàm populari confidere; tum cum illi nihilo magis ob

cam mouerentur: & Ariſtoteles, Melanthusq́ꝫ, & Ariſtarchus hoſtes recipere pro ciuium oppreſsione ſtatuiſſent. Si ergo illa ſentiens prohibui: id eſt, quæſo, proditorem eſſe? Appellat me cothurnum, quaſi ambobus ſimul congruere ſtudentem: ſed qui neutris congruit, hunc quem, per Deum, appellare debemus? Tu Critia in populari quidem ſtatu inimicíſsimus populi repertus es: in optimatum rurſus gubernatione omnium optimorum ciuium manifeſtiſsimus hoſtis. Equidem ſemper illis aduerſatus ſum, qui non putant ciuitatem populariter regi, niſi tunc demum, cùm tenues, & egeni, & omnis fex ciuitatis ad gubernationem reipub. ſint recepti. At rurſus illis aduerſor, qui non putant rempub. prius ſub paucorum gubernatione eſſe: quàm ipſi illi, qui gubernant, tyrannidem exerceant. Eos certè, qui equitatu, & armatura, & pecunijs adiuuare rempub. poſſunt, ſemper equidē optimos, aptiſsimosq́ꝫ putaui ad ciuitatis gubernationem: ac ſine ulla mutatione in ea ſententia perſeuero. Quòd ſi oſtendere potes, ò Critia, me ullo unquam tempore, aut cum popularium leuitate, aut cum tyrannorum malignitate concurriſſe, ad optimos ciues à repub. deijciendos, oſtende. Si enim reperiar aut nunc iſta faciens, aut in præterito feciſſe, non recuſo quin omni ſupplicio affectus intereā. Theramenes cum hæc dixiſſet, finem fecit. Conſilium autem fauere Thérameni uiſum eſt. Murmur certè poſt eius oratio-

nem

nem, quaſi probantis, emiſit. Quod cum intueretur Critias, exiſtimaretq́, ſi conſilij ſententijs experiretur, illum haud dubiè euaſurum: nec ſibi uiuendum putaret, ſi hoc accidiſſet: contineri parumper iuſsit: & ad collegas ingreſſus, cum illisq́ locutus, tandem egreſſus, adoleſcentes cum gladijs ſecum habuit. Quibus circa conſilium, quaſi in ſtationibus collocatis, ipſe rurſus uerba fecit. Equidem, inquit, præſidentis boni opus eſſe exiſtimo non permittere, ut decipiantur amici, quod nunc faciam. Scitote igitur, quia neque collegæ mei, nec ipſe, ut Theramenes euadat, paſſuri ſumus. Eſt autem in nouis legibus prouiſum, qui in catalogo trium millium ſint deſcripti, eorum neminem abſque iudicio ueſtro necari licere. Ex alijs uerò licere triginta uiris, quem uelint, occidere. Nos uerò, inquit, triginta uiri conſentientes omnes Theramenem ex catalogo trium millium deleuimus, atque eum morte damnauimus. Hæc audiens Theramenes, proſiliēs, ſtatim ad aram deorum, quæ in conſilio erat, confugit: atque aram tenens, Ego, inquit, ò ciues, in tutelam deorum, quòd eſt legitimum nobis, & conſuetum, ſupplex confugio, prouidere monens, ne ſit in poteſtate Critiæ, nec me, nec quenquam alium ueſtrum ex catalogo delere: ſed quam legem iſti ipſi ſcripſere, de hoc ipſo, obſeruent. Quamquam ne illud quidem ignoro, quia nec ara iſta, quam teneo, mihi ſat erit præſidij: ſed palàm fieri uolo, eos non

ſolùm erga homines iniuſtiſsimos, uerumetiã erga deos impijſsimos eſſe. Illud tamen ò ciues admiror, ſi non uobis ipſis iam auxilium paratis, ſcientes non meum magis, quàm uniuſcuiuſque ueſtrum deleri nomen ex catalogo poſſe. In hunc ea dicentem miſsi ſatellites, ab ara ipſa per uim detraxere, ducente Satyro ſatellitum principe homine peſsimo, atque impudentiſsimo. Eorum uerò, qui in conſilio erant, maxima pars hæc improbat: ſed quid agerent, cùm inter ſubſellia uerſarentur armati? & formidaret quiſque ſibi, ne eadem pateretur? Per hunc modum Theramenes ab ara detractus, undecim uiris ad ſupplicium traditur. Ille uerò deos, hominesq́ teſtatus magna uociferatione per carcerem trahebatur. Quo in loco facetum etiam quiddam ferunt ab eo dictum. Nam minante Satyro malum ſibi fore, niſi ſileret. Quòd, inquit, ſi tacuero, nõ erit mihi malum? In carcere quoque cum uenenum potaret, reliquum ex calice quatiens: illud ſe Critiæ propinare inquit. Nec magnifacio huiuſmodi dicta: ſed illud exiſtimatione dignum puto, quòd propinqua imminente morte, nec mente concidit, nec remiſit iocandi conſuetudinẽ. Theramenes igitur per hunc modum interijt. Triginta autem uiri quaſi iam planè dominantes, cuncta pro libidine exequebantur: metuq́ cõterriti ciues, urbem ſponte relinquebant. Per agrum quoque multi ciuium, cùm eò ſeceſsiſſent, capti, & in urbem reducti, necabantur.

Itaque

Itaque tandem fuga longius arrepta, alij Megaram, alij Thebas migrauere. Hæc animos fecerunt exulibus contra ſtatum ciuitatis inſurgendi. Itaq; Thraſybulus cum ſeptuaginta exulibus à Thebis mouẽs caſtellum ſatis munitum, nomine Phylam occupauit. Ad recuperandum triginta uiri cum ſuæ factionis hominibus properantes, cùm expugnare locum aggrederentur, multis acceptis uulneribus repelluntur. Obſidere uerò arctius uolentes, continuæ niues prohibuerunt. Ex hoc iam concurſus eſt ad Thraſybulum factus, ut eſſent intra paucos dies exulum circiter ſeptingenti. Triginta uiri, & ſuæ factionis homines ne diſcurſiones per agrũ ab exulibus fierent: partem equitum, ac peditum ſuorum in præſidio regionis collocarunt. Delecto loco inter urbem, & Phylam, quò diſcurrere per Atticam, & abigere prædas exules prohiberentur. Ad hos ergo Thraſybulus per noctem ducens, ſub primam lucem improuiſò eos inuaſit, interfecitq; eorum circiter centumuiginti. Cæteri uerò deſerto loco, commeatu, impedimentiſq; relictis, nõnulli etiam amiſſis armis, trepidi in urbem ſe receperunt. Ex hoc Thraſybulus Piræeum acceſsit, aucto ſuorum numero: ut iam ad mille exulum eſſent. Cum ergo in Piræeum ueniſſent exules, triginta uiri eò promptiſsimè auxilium tulerunt, cum equitibus urbanis, ac ſuæ factionis peditibus, & cum præſidio militum Lacedæmoniorum. Thraſybulus uerò ſtructa acie,

orationeq́ꝫ ad ſuos habita,cum aut glorioſam uictoriam,aut glorioſam mortem propoſitam illis oſtendiſſet: tandem conflixit, licet cum paucis aduerſus multos. Sed iuuabatur natura loci,quod una duntaxat uia,& à fronte tantummodo pugna erat committenda.Itaq́ꝫ cùm uehementer aliquandiu pugnatum eſſet:tandem maiori ui connixi exules ſuperarunt; interfectiq́ꝫ in eo prælio ſunt duo ex triginta uiris,Critias ſcilicet,& Hippomachus:aliorumq́ꝫ ciuium circiter ſeptuaginta: inter quos fuit Charmides Glauconis filius. Horum arma quidem exules ſumpſerũt:ueſtes autem uel aliud quicquam eorum noluerunt attingere. Meminerant enim, etſi inimicos: tamen eos ciues, non hoſtes eſſe. Quamobrem præter belli inſtrumenta,nihil eorum auferre ſuſtinuerunt. Trophæum tamen in eo loco, in quo primum illos uerterant, ſtatuerunt, quaſi monimentum perpetuum uirtutis ſuæ. Cum uerò inducijs de more factis defunctorum corpora ad ſepulturam conceſsiſſent; ac ueniſſent propinqui, & agnati ad corpora deportanda; unus è numero exulum, uir magnæ uocis, magnæq́ꝫ audaciæ ſic eis locutus eſt:

Viri Athenienſes,pro certiſsimo habetote,quoſdam ex his, quorum corpora deportaturi ueniſtis, non minori gemitu à nobis deplorari, quàm à uobis ipſis. Sunt enim in cœtu noſtro & cognati, & affines, & amici, & familiares multorum. Hi ergo, ut cæteros omittam, pariter cum propinquis

pinquis magno dolore pro illorum interitu affi-ciuntur. Ex quo calamitoſior noſtra conditio red-ditur, quòd neque uictores, neque uicti gemitu ca-rere poſsimus. Sed quæ calamitas eſt hæc noſtræ ciuitatis? quis furor ciuium? quæ amentia? Nos enim domum redeundi iuſtum, ac legitimum deſi-derium habemus: uos autem cur nos perſequimi-ni? quid impugnatis? quid tantopere nos odiſtis? Non'ne nos omnes eiuſdem patriæ ſumus alumni? Non'ne in eadem ciuitate geniti? Non'ne in eiſdem templis, ſacriſq; initiati? Non'ne in eiſdem ſcholis, & gymnaſijs eruditi? Non'ne parentes noſtri unà cum ueſtris parentibus pro dignitate, ac libertate, & amplitudine communis patriæ pugnarunt? Non'ne nos unà uobiſcum pro patria nobis chariſsima pu-gnauimus? Vnde igitur hæc odia ſunt exorta? cùm odiorum nulla ſit cauſa, multæ charitatis. An pa-rêre in hoc uultis triginta uiris? nec illud conſidera-tis, longè plures ab illis interfectos fuiſſe ciuium no-ſtrorum menſibus decem, quibus rempub. tenuere, quàm decem annis in bello fuerint interfecti à ma-nifeſtiſsimis hoſtibus noſtræ ciuitatis? Præfectus equitum, qui unà erat, cum his, qui ad tollenda cor-pora uenerant, hos ſermones interrupit. Sed nihilo-minus relati in urbem ſunt ab his, qui audierant. Poſt hoc prælium reuerſi domum, qui cum triginta uiris exierant, ualde ſegniores facti ſunt ad reſiſten-dum: ac liberæ iam uoces iactabantur, non eſſe tri-

ginta uiris permittendum, ut ciuitatem per hunc modum euertant. In catalogo uerò deſcriptorum ciuium uariæ quidem erant uoluntates. Quicunque enim illorum, aut cædibus, aut rapinis, aut perſecutione cæterorum ciuium ſe onerauerant: mutationē rerum formidantes pertinaciter defendendam urbem aduerſus eos, qui erant in Piræeo, prædicabāt. Quicunque uerò mediocritatem quandam ſecuti, nullas alijs ciuibus intulerant clades: ij & ipſi ſtatuebant ſecum, & alios cohortabantur has patriæ calamitates nequaquam eſſe tolerandas: nec parendum triginta uiris; nec eis permittendum, ut euerſores ſint ciuitatis. Triginta ergo uiri hæc formidantes, relicta urbe in caſtellum Eleuſina ſeſe trepidi receperunt: illisq; abrogatum imperium eſt: atque in eorum locum ſinguli ex ſingulis tribubus creati. Fuerunt ergo hi tribuni decem. Siquidem Athenis tribus erant decem: in quas tota ciuitas diuidebatur. Hi ergo tribuni ſimul ac fuerunt creati, ualde timidi, diffidentesq; uidebantur: adeò ut quiſque ſuæ tribus equites per noctem in publico ſecum haberet, ac mœnia circuirent armati ſemper formidantes ne improuiſo inuaderentur. Qui uerò erant in Piræeo quotidie magis augebantur concurſu non modò ciuium, uerum etiam peregrinorum. Itaq; iam exire Piræeo, ac diſcurſiones per agrum facere, prædasq; abigere, & ſub mœnia ipſa urbis accedere non dubitabāt. Ex urbe uerò nulli penitus exibant,

præter

præter equites ſolos. Et iam cædes quædam fieri cœptæ fuerant: cùm in urbe captiui quidam ex Piræco mactati forent. Et in Piræeo uiceuerſa quicunque equitum urbanorum capti fuerant, ſupplicio afficiebantur. Inter hæc qui erant in urbe, legatione ad Lacedæmonios miſſa ſibi ferre auxilium precabantur: oſtendentes plebem Athenienſium ſeceſsiſſe: atque omnes, qui populares ſequantur partes, contra Lacedæmonios, eorumq́ꝫ amicos inſurrexiſſe: Iam uerò Piræeum ab his occupatum eſſe, ac niſi obuietur, maiora cõtinuo paraturos. Fautorem legati habuerunt Lyſandrum: qui, cùm exiſtimaret eos, qui Piræeum inuaſerant, faciliter expugnari poſſe, ſi mari ſimul, terráq; commeatu prohiberentur, autor fuit, ac ſuaſor, ut talenta centum mutuo traderentur ĳs, qui erant in urbe ad militem condu cendũ. Ipſe uerò Lyſander ſuſcepto negotio militẽ in Peloponneſo cõtraxit: & aduerſus Piræeum duxit. Frater autem eius Libis claſsi præfectus mari Pi ræeum obſidebat, quò nihil eo deferri poſſet. Quibus difficultatibus circunuenti, qui in Piræeo erant, nullam quaſi ſpem habere reliquam uidebantur.

Inter hæc Pauſanias Lacedæmoniorum rex, inuidens Lyſandri glorię, uerituſq́ꝫ ne, ſi illa perficiat, maiorem in potentiam euadat, & Athenas omnino ſibi aſciſcat, tribus Ephororum in ſuam ſententiam tractis, ſibi exercitum decerni fecit contra eos, qui erant in Piræeo. Nam Lyſander non publico Lacedæmo

dæmoniorum nomine, ſed quaſi ab Athenienſibus conductus, illuc acceſſerat. Secuti ſunt & ſocij Pauſaniam regem, præter Corinthios, & Thebanos, qui non rectè, neque ex fide ſe facturos dixere, ſi contra Athenienſes mitterent: cùm illi nihil fecerint contra ius fœderis. Hæc prætexebatur cauſa: ſed re uera grauiter ferentes ſi Lacedæmonij Athenas ſibi penitus ſubijcerent, huic profectioni aduerſabantur. Pauſanias ergo rex eò profectus nõ longe à Piræeo caſtra poſuit: cùm altera ex parte Lyſander eſſet: miſsiſq; ad eos, qui in Piræeo erant, legatis, cunctos ad proprios labores abire iuſsit. Cùm uerò illi non parêrent, uim, & arma oſtentare cœpit: quæ & ipſa cùm illi non expaueſcere uiderentur, ſecuta mox die cum duabus Lacedæmoniorum cohortibus, & turmis equitum Athenienſium tribus uſq; ad portum, qui Surdus dicitur, progreſſus eſt. Inde ſpeculatus Piræei ſitum, ac naturam regionis, cum tandem reduceret, inſecuti è Piræeo leues quidam, & expediti poſtremum eius agmen laceſſere cœperunt. Qua indignatione permotus rex, uerſo celeriter agmine equitatum, ac leuis armaturæ militem in eos miſit: ipſe uerò cum reliquis ſubſecutus uſq; ad theatrum, quod eſt iuxta Piræeum, præcipites egit. Sed cum ad theatrum uentum eſſet, reperit aciem armatorũ opinione maiorem: ac ſtatim in eum uerſi ita preſſerunt regem, & eos, qui ſecum uenerant, ut neceſſe fuerit, citato gradu pedem referre. Et ceciderunt

runt aliquot præclari uiri ex his, qui erant cum re-ge. Ipſe uerò circa quatuor ſtadia pulſus, cum in tu-mulum quendam ſe recepiſſet, facto ſuorum globo, rurſus hoſtes inuaſit, ac in fugam uertit: interfecitq; eorum centum quinquaginta. Rex igitur prælio ui-ctor in caſtra ſua rediјt: nec ob hoc iram ſuſcepit ad-uerſus eos, qui obſidebantur: ſed miſsis clàm nun-tiјs monuit, quibus uerbis ad ſe oratores mitterent, pro rebus componendis. Concitauit etiam eos, qui in urbe erant, Athenienſes, ut ſeditione facta ue-nirent ad ſe quàm maximo numero, dicentes non expedire ſibi, ut ciuibus, qui eſſent in Piræeo, bel-lum inferretur: poſtulantesq; ut opera regis ſublatis diſcordiјs in urbē reducerentur: eſſentq; cōmuniter omnes Lacedæmoniorum amici. Hæc non ſolùm rex, uerumetiam duo Ephori, qui tunc aderant, non inuiti audiuerunt: factisq; inter eos induciјs ſuaſe-runt, ut hi, qui in Piræeo erant, legatos ſuos Lace-dæmona mitterent pro concordia ineunda. Idem fe-cit ea pars ciuium, qui in urbe exiſtentes cōcordiam optabant. Erant uerò hi (ut ſuprà diximus) pluri-mum boni uiri, & mediocritatem quandam in Re-pub. ſecuti, qui neque cædibus, neque rapinis, ne-que iniuriјs in aliorum calamitatibus ſe onerauerāt. Sed hæc pars ciuium priuatim miſit, eadem illa di-cens, & poſtulans, quæ prius apud regem, & Epho-ros poſtulauerat. Miſerunt etiam publicè, qui Rem-pub. gubernabant. Hi erant uel ex triginta uiris, uel

ex eorum ſinu, ac factione homines partim inimici, aſſertores nobilitatis, partim ita coinquinati cædibus, rapinis, iniurijs: ut ſi redirent exules, ſe incolumes fore deſperarent. Hi ergo mittentes, ſe dedere uelle urbem, ac mœnia, & cætera omnia Lacedæmonijs obtulerunt. Quòd ſi amici Lacedæmoniorum eſſent, qui Piręeum tenent, idem facere debere. Non tamē hæc flexerunt Lacedæmonios à grauitate ſua. Sed cum omnes legationes audiſſent: tamē quindecim uiros mittere Athenas decreuerunt cum publica autoritate, qui unà cum Pauſania rege, & Ephoris, quàm optimè fieri poſſet, rem cōponerent, ac diſcordias ſedarēt. Per hunc modū concordia facta eſt inter ciues, his fermè cōditionibus: ut hi, qui in Piræeo erāt, domū redirent. Ex triginta uerò illis perniciosis ciuibus quicunq; ſupererant, ut Eleuſina migrarent. Idemq; de illis aſſentatoribus, & clientibus prouiſum, quibus propter iniurias, & cædes, & rapinas dudū editas, tutū nequaquā fuiſſet in urbe manere. His peractis qui erāt in Piræeo armati in urbē cum ſumma omniū lætitia redeuntes, in templo Mineruę, quod eſt in arce, poſuerunt arma, & pacati ſimul ciues cōmuni ſuffragio magiſtratus crearunt: & antiquis legibus gubernare Rempub. ſtatuerūt. Poſteris uerò temporibus cùm auditum fuiſſet eos, qui migrauerant Eleuſina, militem conducere, ac res nouas moliri, populariter egreſsi ciues id caſtellum obſederunt, ac tandem ceperunt: & quot ſuperfuerant

rant

rant ex triginta uiris, principalioribusq́ eorum ſatellitibus necatis, cæteros in urbem reduxerunt, iureiurando præſtito, ne poſthac quiſquam præteritarum iniuriarum meminiſſet. Seditio igitur Athenienſium per hunc modum finem accepit. Lacedæmonij uerò poſt uictos Athenienſes cùm principatum Græciæ ſine controuerſia obtinerent, ac florere eorum potentia uíderetur: in medio rerum proſperrimarum & ipſi à Thebanis uicti, principatum amiſere, ut à nobis oſtendetur. Mortuo Agide Lacedæmoniorū rege, cum inter Ageſilaum eius fratrē, & Leuthicada filium de ſucceſsione foret contentio: fauore, & opera Lyſandri effectū eſt, ut reiecto filio regnū Ageſilao deferret. Hic fuit uir egregius, et qui omnes ferè ante ſe reges uirtute ſuperaret. Miſſus ergo in Aſiā Ageſilaus unà cùm Lyſandro primùm, mox ipſe ſolus res multas, ac præclaras bello geſsit: uictorijsq́ ſuis nomē, ac potentiā Lacedæmoniorū, quantū nullus antè, per Aſiam extendit: ut formidaret eum tandem Perſarum rex: miſsisq́ in Græciam pecunijs quoſdam motus fieri curauit: quò Aſiam relinquere Ageſilaus cogeretur. Quod aſſecutus eſt, adiuuāte inſuper fortuna. Nam cùm exortum eſſet bellum inter Thebanos, & Phocenſes, ac tandem circa urbem Aliartum pugnaretur: Lyſander ad tutandos Phocenſes cum exercitu miſſus, ad ipſa ꝓpè Aliarti mœnia eruptione Thebanorum occiditur. Pauſanias uerò alter Lacedæmoniorū rex (ſemper

enim duos Lacedæmonij habebāt reges, ex duabus familijs, quæ ab Hercule dicebantur exortę)quia nō ſuccurriſſe in tempore Lyſandro putabatur, & quia corpus eius ad ſepulturā per indutias poſtulauerat, non autē prælio receperat, regia poteſtate priuatus, & in exilium actus eſt. Inter cæteras priuationis eius cauſas, illa quoq; fuit, quòd dudū in Piræeo Athenienſium exulibus fauorē impendiſſet, & quòd eorꝝ concordię autor fuiſſet, nullo bono publico, ſed ob inuidiā Lyſandri. Pauſanias igitur ob eas, quas dixi, cauſas regia dignitate priuatus, in exilio diē obijt, in eiusq; locū Ageſipolis rex factus eſt: qui cùm eſſet puer nondū bello idoneus, Ariſtodemo, qui erat ex eadem familia, cura belli committitur: & nihilominus Ageſilaum reuocare in Græciam placuit: quò omnis motus Græciæ comprimeret. Ageſilaus ergo rex ex Aſia iuſſu patriæ reuocatus, traiecto Helleſponto per Thraciā, Theſſaliā, Bœotiā, Achiā profectus partim ui, & prælijs: partim autoritate, ac præſentia cōpreſsit omnes ciuitates, quæ uel extulerant capita poſt Lyſandri mortē, uel extollere uelle putabantur. Nec illi defuit belli materia, præſertim apud Thebanos, & Corinthios, & Arcades, & Aetolòs: quos tamen oēs uirtute ducis, & Lacedęmoniorꝝ potentia domitos pacē optare coëgit, & imperio quieſcere. Pax tandē ſecuta eſt cū Gręciæ populis. Principatus aūt Lacedæmoniorꝝ ſi unq̄ aliàs, tūc maximè ſtabilis eſſe uidebatꝰ. Cùm igitꝰ florere Lacedæmonij uide

uiderentur, & imperij gloriam firmiter obtinere: conuertit fortuna orbem ſuum, mirabiliq́ꝫ caſu omnem eorum potentiam, autoritatemq́ꝫ proſtrauit, initio malorum hinc exorto. Olynthij ciuitas Thraciæ magna, & potens, finitimos populos, ac reges peruadere cœperant: Acanthij ergo, & Apoloniatæ uicini Olynthiorum, hæc ad Lacedæmonios deferentes, auxilia contra Olynthios implorauerunt: oſtendentes niſi illorum opibus obuietur, in nimiã eos potentiam euaſuros. Ea de cauſa Eudamidas Lacedæmonius cum parte copiarum ſubito in Thraciam nauigare iuſſus eſt. Res enim celeritate plurima indigere uidebatur. Reliquas uerò copias ad diem cogi, ac Phœbidæ germano tradi terreſtri itinere ad Eudamidam fratrem perducendas. Cùm ergo perueniſſet in Thraciam Eudamidas, oppida, & populos in fide continuit: Potideam uerò iam ad Olynthios traductam, ab illorum ſocietate retraxit, ac reuocauit. Expectabat uerò fratrem, & copias reliquas, ut maiora aggrederetur. Phœbidas uerò ubi conuenerunt copiæ, eas accipiens terreſtri itinere duxit. In uia autem, cùm non procul à Thebanorum mœnibus caſtra feciſſet, rerum nouarum ſemina in hunc modum concitauit. Erant Thebis per id tempus factiones duæ, Principes uerò earum Iſmenias, & Leontiades æmuli inter ſe, atq́ꝫ diſcordes. Leontiades igitur ad Phœbidam profectus, docet ſe amicum Lacedæmonijs eſſe: Iſmeniam uerò inimicum.

Suadet ut ſuis copijs arcem occupare Thebanam uelit. Viam, qua id fieri poſsit, oſtendit: ac ſe huius rei ducem, adiutoremq́ꝫ pollicetur. Hac una re pelli aduerſarios nullum eſſe negotium: ſe uerò gubernante aduerſarijs oppreſsis, ad nutum Lacedæmoniorum cuncta fore ſucceſſura. Magnum denique peditum, equitumq́ꝫ numerum ſtatim ſibi contra Olynthios ſe daturū promittit. Phœbidas his pollicitationibus illectus (erat enim non tam prudens, quàm gloriæ cupidus) negotium ſuſcipit: iuuanteq́ꝫ Leontiade improuiſo Thebarum arcem ſuis copijs inuadit. Inde diſcurſum per urbem eſt, & Iſmenias captus, nec multo pòſt de eo ſupplicium ſumptum. Ex ea factione circiter trecentos metu conterriti in Atticam aufugerunt. Hæc ubi Lacedæmonij ſenſerunt: etſi primò uehementer ſuccenſebant Phœbidæ, quòd abſq́ꝫ ciuitatis decreto, cùm eſſet pax cum Thebanis, tantam rem attentaſſet: tamen, quia confecta res erat, & Thebæ in poteſtatem eorum deuenerant, æquo animo pertulerunt. Ex hoc iam Thebæ ſub Lacedæmonijs erant. Leontiades autem, & ſui ad nutum Lacedæmoniorum gubernantes, magna illis auxilia ad bellum Olynthiacum præbuere; & bellum Olynthiacum finem habuit optatum. Nam poſt uarias belli uices, tandem ſuperati Olynthij, mittere Lacedæmona legatos, ac pacem expoſcere coacti, Lacedæmoniorum principatum recognouere. Ageſilaus quoq́ꝫ per media hæc tempora

Phlixa

Phlixaſios non ſatis imperio parentes in Pelopon-neſo domuerat. Cùm eſſet hic ſtatus rerum, mira-bile quiddam oritur apud Thebanos: pro cuius ex-emplo maxime diuinum numen formidandum eſt ab his, qui contra ius, fasq; agere non uerentur. La-cedæmonij quidem Græciæ principes, ac (ut uerè di xerim) rerum domini: contra quos reliqua omnis Græcia nihil poſſe credebatur: ab illis ipſis The-banis, quos iugo ſeruitutis indignè oppreſſerant, ipſi oppreſsi, atq; euerſi ſunt. Multaq; huiuſmodi li-cet intueri & apud Græcos, & apud alias nationes: per quæ apparet iuſtitiæ, ac iuriſiurandi tranſgreſ-ſores puniri diuinitus. Iurauerant enim Lacedæmo-nij per extremam pacem nullius Græciæ ciuitatis li-bertatem impedituros. Contra uerò iuſiurandũ, ac promiſſa Thebanam arcem tenebant, permitten-tes, ut Leontiades, & ſui tyrannidem exercerent.

Non tulit ergo diuinum numen, ſed eos mirabi-liter ultum eſt. Erat quidam apud Thebanos magi-ſtratus ſcriba nomine Philidas: is cùm alijs forte de cauſis Athenas ueniſſet, atque eſſet ſibi iampridem cum Melone, qui erat unus ex Thebanis exulibus familiaritas, interrogatur ab eo, quid Thebis age-retur: ita reſpondit, ut appareret ſibi odio eſſe, qui tunc erat, ciuitatis ſtatum. Ex hoc requiſitus à Melone ut adiutor eſſe uellet ad exules reducendos: nequaquam aſpernatus eſt, ſed operam ſuam polli-citus, non prius diſceſsit, quàm re tractata, atque

compoſita. Summa hæc erat, ut Melon ipſe cum quibuſdam exulibus ad diem conſtitutam Thebas clàm ueniret, ipſe receptum eis, ac uiam patrandæ rei præberet. Melon igitur ſex duntaxat exulibus ſibi coniunctis exequi conſtituta pergit. Ad diem enim, qua conuenerat, Athenis mouentes, nec ulla ſecum ferẽtes arma, præter gladios, per ſpeciem uenandi per Atticam profecti: cùm tandem nox ſuperueniſſet, agri Thebani fines ingrediuntur, & quàm maximum poſſunt, iter noctu conficiunt.

Aduentante mox luce deſertis in locis requieſcũt. Per hunc modum Thebis appropinquantes, per id maxime tempus, quo tardiſsimi agricolarum regredi ab operibus ſolent: per ipſam portam unà cum cætera turba ingreſsi, qua domo conſtitutum fuerat, delituerunt. Phylidas uerò ſcriba iam pridem quaſi iocans magiſtratui Thebanorum pollicitus erat formoſas mulieres una ſe nocte exhibiturũ. Id cum ſæpius aſſeueraret, eò deuentum erat, ut iam tanquam promiſſum ab eo magiſtratus depoſceret. Tempus igitur ueniſſe ratus, magiſtratui denũciat, ſe mulieres, quas promiſerat, parauiſſe. Qui uerò in magiſtratu erant, id læto animo audiuerunt: cœnaque hilariori inſtituta, mulieres expectabant. Ille uerò poſt cœnam, demum uenturas eſſe dixit. Nam eſſe eiuſcemodi, ut neque cœnantibus intereſſe uelint, neque poſt cœnam niſi prius omni miniſtrorum turba dimiſſa. Cœnati ergo dum eſſent, miniſtros di-

mittunt à ſe, qui uerò ſuperforent, ab ipſo Phylida negotio aliquo iniecto ablegantur. Tandẽ cùm præter magiſtratum nemo adeſſet, ſex illi introducũtur.

Erant uerò eorum tres habitu matronarum, alij tres quaſi pediſſequæ, & ancillæ. Receptæ igitur iocoſè à magiſtratu, & inter eos ſedere iuſſæ, ſtatim ubi conſedere, reiectis muliebribus uelamentis, ſinguli ſingulos eorum, qui in magiſtratu erant, gladijs adoriuntur, atque occidunt. Poſt magiſtratus interfectos, Phylidas cum illis ipſis ad ædes Leontiadæ profectus, quaſi nuntiare aliquid properaret, atq; huius gratia iuſſu magiſtratus ueniret, ſine ulla ſuſpitione introducitur: ingreſsiq; unà exules, in proprio cubiculo Leontiadem occidunt. Inde ad carcerem properantes (magna enim uis ciuium ſuæ factionis in carceribus cuſtodiebatur) cum ſimularet Phylidas iuſſu magiſtratus quoſdam adduxiſſe in cuſtodiam tradendos: & oſtium ſibi apertum eſſet, interfectis cuſtodibus captiuos educunt, atque arma capere ex publico iubent. Cum his opportuna ciuitatis loca occupant: ac iam aperto clamore ciues prouocant ad libertatem: concurſusq; ſtatim factus eſt populi gaudentis quidem, ac plaudentis pro ciuium reditu, ac depulſione illorum, qui Rempub. occuparant. Per inſecutos ergo dies arcem expugnare cœperunt (tenebant enim illam Lacedæmonij) cumq; magna ui undiq; niterentur: tandem conterritis, qui in arce erant, & incolumibus abire pa-

ctis, arcem quoq; receperunt. Per hunc modum Thebani recuperata libertate, & arcem, & ſeſe in ſua iura uendicarunt. Lacedæmonij uerò poſtquam hęc intellexerunt, grauiter ea ferentes, primò quidē prę-fectum arcis, quòd ipſam immaturè reddidiſſe putabant, ſupplicio affecerunt. Deinde exercitum decreuerunt aduerſum Thebanos. Duxit autem hunc exercitum Cleombrotus Lacedęmoniorum rex: qui Ageſipoli mortuo ſucceſſerat. Nam Ageſilaus, quanquam tunc aderat, ab hac exercitus ductione ſe excuſauit, ætatem allegans quòd ſupra ſexagenarium foret. Nec ſanè cauſa hæc erat: ſed fugere querelas ciuium uoluit, ne ab ſe dicerent bella ex bellis continuò ſeri. Cleombrotus ergo alter Lacedæmoniorum rex ad urbem Plateas, quæ eſt in Thebanorum finibus, exercitu ducto, indeq; Thebanum aggreſſus agrum, dies complures in eo commoratus, nulla inſigni re geſta, exercitum tandem reduxit. Et Thebani quidē, Lacedæmonijq; in his erant. Athenienſes uerò, quanquam lætati fuerant Thebanorum facto: tamen quietem agere conſtituerant: & perſeueraſſent ad extremum in eo propoſito, niſi noua Lacedæmoniorum iniuria eos quoq; permouiſſet. Sphodrias erat Lacedæmonijs apud Theſpias oppidum relictus à Cleombroto cum parte copiarum, quò inde Thebanis bellum inferret. Huic ſpes oblata eſt Piræei occupandi. Quamobrem profectus cum ſuis copijs Atticam ingreditur. Cumq;

ſpes

ſpes eum Piræei fruſtrata eſſet, prædis ex Attica ab‑actis Theſpias rediјt. Ea res Athenieſes quoq; ad bellum commouit, indignatione percitos, quòd in pace tentaſſet Lacedęmoniorum præfectus Piræeum occupare: quodq; de hoc ipſo accuſatus Sphodrias iudicio Lacedæmoniorum abſolutus fuiſſet. Hæc Athenienſium commotio multum profuit Thebanis. Occupati ſiquidem Lacedæmonij maritimo Athenienſiũ bello: quod ferè circa Corcyrã magna ui, uario euẽtu geſtũ eſt: ſuas uires omnes cõuertere in Thebanos nequiuerũt. Et accidit quòd Ageſilaus per id tempus grauiter ægrotaret. Itaq; Thebani hanc facultatem nacti Theſpias, & Plateas, & alias omnes Bœotiæ urbes, quæ ab ſe defecerant, in poteſtatem ſuã redegerũt. Athenieſes uerò demum circa Corcyrã uictores, cũ ſatis uindictæ ſe exegiſſe à Lacedęmonijs pro attentato Piræeo iudicarẽt: nec rem Thebanorũ augeri placeret: præſertim cum illi nihil ad impẽſam maritimi belli cõferrẽt: ſed rem ſuã alienis ſumptibus augerẽt: Athenieſes uerò crebra tributorũ penſione cõſumerentur: Legatione miſſa, pacem cum Lacedæmonijs fecere, reſeruato loco Thebanis, ſi modò in pacem uenire uellent. Sed cùm poſtea de loco Thebanis relicto diſceptarẽt: & illi ſe, & Bœotię urbes in ea pace includi uellẽt: Lacedęmonij uerò eis cõceſſum locũ dicerẽt, Bœotiæ aũt oppidis negarẽt, res demũ ita cecidit, ut Thebani excluſi, pace remanerent. Hinc iam Lacedæmonij maiore,

quàm prius, animo bellum aduerſus Thebanos aggreſsi (necq; enim ſibi pares illos exiſtimabant:& ulciſci cupiebant ignominiam antè ſuſceptam) Cleombrotum regem cum Lacedæmoniorum, ſociorumcq; copijs contra Thebanos ire iuſſerunt. Cleombrotus igitur ex Phocenſibus in fines Thebanorum traducto exercitu in Leuctris conſedit: qui eſt locus Theſpiēſis agri. In eo quocq; loco Thebani cum ſuis copijs obuiam profecti, in tumulo quodā non longè à Lacedæmonijs caſtra poſuere. Cum utracq; pars optaret prælium, ac uictoriam ſperaret: non multos poſt dies ad pugnam deuentum eſt, ſtructis aciebus, & cunctis apparatibus factis, quę fieri tali tempore cōſueuerunt. In ea pugna uictores Thebani, Lacedæmonios ſuperarunt: illoſcq; diſsipatos, & fractos magna ſtrage occiderunt. Cleombrotus rex, & omnis nobilitas, quæ circa regem erat, in ea pugna interijt. Atque ita ſuperiores facti Thebani, non iam de tuenda libertate, aut de retinendis Bœotiæ urbibus, ſed de principatu Græciæ, decq; Lacedæmoniorum euerſione cogitare cœperunt. Ad hanc eorum ſpem fortuna uiam ſtatim accommodauit. Poſt aduerſam enim Lacedæmoniorum in Leuctris pugnam, Arcades, gens magna quidem, & Lacedæmonijs finitima, ceruicem attollere cœpit, iampridem infenſa Lacedæmoniorum potētiæ. Itaque communi gentis conſilio Mantineam urbem mœnibus cingere conſtituerunt: quod Lacedæmo-

nij uſque ad eam diem facere eos, propter egregiam loci illius opportunitatem, uetuerant. Id igitur cum Lacedæmonij etiam in illa fortuna grauiter ferre uiderentur, & Ageſilaum cum exercitu mitterent ad opus impediendum: nulla fuit mora, quin Arcades omnes fœdere, & amicitia cum Thebanis iungerentur, eosq; uocarent ultrò ad Lacedæmonios opprimendos. Thebani ergo impigrè cum exercitu profecti ad Mantineam ſe Arcadibus coniunxere: inde magna multitudine copiarum Lacedæmonem ipſam petere contendunt. Lacedæmonij uerò nequaquam obuiam exire auſi ſunt: ſed in urbe manentes eam cuſtodiebant obſeſſorum more. Adeò enim urbem Thebani preſſere, ut in hippodromo ipſo, quod eſt theatrum urbi coniunctum, prælia committerentur. Profuit autem uehementer Lacedæmonijs, quòd Arcades, utpote finitimi ad rapinam, prædasq; conuerſi, dum agunt, & ferunt, infrequentes ſtationes relinquebant. Erat enim regio opulenta, ut ciuitatis longè, lateq; dominantis: & quæ hoſtes iam diu nullos regionem ingreſſos cognouiſſet. Itaque ne fugere quidem homines, uel aſportare ſua propter deſuetudinem ſciebant. His igitur rapinis intenti Arcades minus frequentes circa urbem ſtetere: Thebani quoq; hæc animaduertẽtes, cùm diffiderent expugnari urbem poſſe: motis retro ad Seleſiam caſtris, id oppidum expugnarunt. Gythum quoq; oppidum maritimũ,

in quo naualia Lacedæmoniorum erant, à Thebanis biduo oppugnatum, ægrè defenditur. Inter hæc Lacedæmonij cum ſpes nulla ſatis reliqua uideretur: legatione Athenas miſſa, ſibi tantis in periculis auxilium ferre precabantur. Legati fuerunt quatuor: qui ueterem amicitiam, & mutua beneficia memorantes, & quanta commoda uniuerſæ Græcorum nationi ex coniunctione ſua dudum peruenerunt, oſtendentes, conuerſis Athenienſium animis impetrarunt, ut auxilia mitterentur: quibus præfectus eſt Iphicrates. Et exierunt quidem Athenienſes promptè, ac ferè populariter ad Lacedæmonios defendendos. Hæc Thebani, & Arcades ſentientes, cùm iam commeatus quoq; deficerent, Lacedæmone relicta domum copias reduxere. Altero dehinc anno Lacedæmonij, & Athenienſes, & Corinthij cum alijs ciuitatibus, quæ Lacedæmonios ſectabantur, educto communiter exercitu circa Corinthum aditus cuſtodire cœperunt: ne poſſent Thebani in Peloponneſo tranſire: quod tamen aſſecuti nequaquam ſunt. Venientes enim Thebani ad ea loca, & per noctem eos, qui aditum cuſtodiebant, aggreſsi per montem, cui nomen eſt Onio, in Sicyonios deſcenderunt. Ibi ſuſceptis Arcadibus, & Argiuis, & Elienſibus, omnibus ſimul copijs contra hoſtes uertuntur. Venerunt quoq; per hoc ipſum tempus Lacedæmonijs à Dionyſio Syracuſano auxilia nauium longarum ſupra uiginti: in quibus erant

Hiſpa

Hiſpani, & Galli: & inſuper equites quinquaginta bellandi peritiſsimi eiſdem nauibus aduehebantur. Hæc auxilia multum Lacedæmonijs profuerunt. Id bellum ferè circa Sicyonium, & Corinthum eſt geſtum, ac uario quidem euentu. Sed tamen ea belli conditio fuit, ut Thebani longe potentiores haberentur. Structa ſiquidem ſub ipſa Corintho acie, cum ipſi fortunam pugnæ experiri uellent: detrectatum à Lacedæmonijs eſt ad pugnam deſcendere: damna tamen uariè hinc inde illata ſunt, & accepta.

Poſt huius anni militiam Arcades, qui uſq; ad id tempus ſecuti fuerant Thebanos, diuerſa opinione eſſe cœperunt. Cuius rei cauſa hinc fluxit. Erat Mantinæus quidam Lycomedes, uir genere, ac diuitijs in primis clarus. Hic de ſe, ac de gente ſua longe maiora in dies ſentire uidebatur. Cernebat enim Lacedæmonios quidem afflictos, Thebanos uerò potentiores inſurgere. Vtrunq; horum Lycomedes Arcadum opus eſſe putabat. Itaq; gloriabundus apud ſuos hæc prædicare ſolebat, atq; caſtigare popularium ſuorum ignauiam, quòd excellentiã ſuam uel non intelligere, uel non exiſtimare uiderentur. Solam enim Peloponneſum primam, ac ueriſsimam Græciam eſſe. Solos etiam Arcades natiuos eſſe Peloponneſi homines: cùm alij omnes populi eam incolentes ſint alienigenæ, & aduenæ. Multitudine uerò nullam totius Græciæ gentem cum Arcadum gente eſſe comparandam. Viribus quoq;,

ac bel

ac bellandi uirtute cæteris omnibus Græcis longè Arcades præſtare. Neq; Lacedæmonios unquam Atticam intraſſe ſine Arcadibus: neq; Thebanos unquam in Peloponneſum uenire auſos fuiſſe, niſi confiſi eſſent Arcadum ſocietate. Debere quidem Arcades hæc attendentes non tam facilè alios ſequi: ſed ſe quoq; principes Græciæ meminiſſe. Hac, inquit, ignauia, & incuria Lacedæmonios dudum ſuper ceruices ueſtras creſcere ſiuiſtis: & nunc Thebanis, niſi caueatis, uos ipſos, Peloponneſumq́; ſubijcietis, alteros nimirum Lacedæmonios illos facientes. Arcades uerò hæc audientes, elati ſunt animis, & Lycomedi, quantos nulli unquam, honores tribuerunt: eiusq́; ductu omnia miniſtrabāt. Cæterum Thebani hæc ſentientes ſuſpectos Arcades habere cœperunt: ac ſegniores fieri ad bellum proſequendum. Et ſimul diſcordię quædam Arcadibus cum alijs Peloponneſi populis, qui prius erāt in fœdere, propter huiuſmodi arrogantiam ſubortę ſunt: maximè uerò cum Elienſibus, & Meſſenijs: quòd oppida eorum Lacedæmonijs adempta, reddere ſibi Arcades noluiſſent. Nec multò pòſt Lycomedes autor fuit, ut Arcades cum Athenienſibus fœdere iungerentur: cuius fœderis ineundi gratia cum Lycomedes ipſe Athenas profectus eſſet: compoſitis rebus inde reuertens ab exulibus interficitur. Fœdus tamen cum Athenienſibus initum durauit, licet autore ſublato. Verum hæc Athenienſium

ſium cùm Arcadibus inita coniunctio, aliud incommodum poſt ſe traxit. Nam Corinthij, qui prius erant in Athenienſium, Lacedæmoniorumq́ꝫ ſocietate, ſuſpicionibus conceptis præſidium Athenienſium commorari amplius penes ſe noluerunt: aperteq́ꝫ tandem deficiẽtes ad Thebanos inclinarunt, ea tamen lege, ne contra Lacedæmonios auxilia mittere cogerentur. Per idem tempus Epaminundas Thebanorũ Dux Achęos, quorum magna erat autoritas, Thebanis coniungere ſtatuit. Cuius rei gratia cum exercitu profectus, ciuitates eorum omnes mirabili ſucceſſu in Thebani populi poteſtatẽ redegit. Magna profecto res, ac præclara, & ingens acceſsio potentiæ, ſi modo conſeruata eſſet. Sed poſtquam Epaminundas cum exercitu abſceſsit, Thebanorum magiſtratus ad ciuitates Achęorum miſsi, dum populares contra nobilitatem fouent, ac ſeditiones concitant: cauſa fuere, ut à Thebanis deficerent, ac in Lacedæmoniorum ſocietatẽ, amicitiamq́ꝫ concederent. Inter hæc Elienſes Arcadibus infenſi, quod oppida ſibi non redderentur, deſciſcentes à cõmuni ſocietate Thebanoꝝ ad Lacedæmonios redierunt: ex quo mirabilis quædam rerum confuſio ſecuta eſt. Arcadibus enim aduerſus Elienſes bellũ gerentibus, Thebani, & Athenienſes inter ſe hoſtes auxilia ſubmittebant. Elienſibus autem Lacedæmonij, qui erant in ſocietate Athenienſium, copias ſuas præbebant aduerſus Arcades. Certamen huius

P bellí

belli maximum fuit: primò circa Cromium, deinde circa Olympiam. Arcades enim magna ui recuperato Cromio: quod oppidũ paulò antè ſibi Elienſes abſtulerunt: tandem ipſi profecti per illud ipſum tempus, quo celeberrimum quinquennale certamen in Olympia futurũ erat, occupato Iouis Olympij tẽplo, pulſis, ac deterritis Eliẽſibus, ipſi certamini præeſſe uoluerunt, & apparatum fecerunt ad multitudinem recipiendam, exhibẽdaq́ certamina. Cum uerò dies certaminum aduenifſet, Elienſes conuocatis primò ſocijs, & apparatibus palàm factis, in Olympiam uenire conſtituerunt ui, & armis illegitimos templi occupatores expulſuri. Iàm ludi fiebant, cùm Eliẽſium copiæ ſuperuenire conſpectę ſunt. Curſus enim equorꝶ, quadrigarumq́, & hominũ in ſtadio decurrere ſolitorꝶ peracta ſolennitas erat: pugiles ut in certamẽ deſcenderent, expectabatur. Inter hęc igitur Elienſes uenire conſpecti ſunt: & Arcades illis obuiam facti, ſuper Cladaum fluuium, qui nõ longè ab Olympia decurrẽs in Alphæum cadit amnẽ, pręlium cõmiſerunt. In eo loco uicti, ac ꝓfligati Arcades uſq́ ad templũ Iouis Olympij præcipites aguntur. Templũ quoq́ ęgre defenſum ab ijs, qui de muris templi telis, ac lapidibus repugnabãt. Atqui cum Arcadibus erant Argiuorꝶ quidẽ ad duo milia peditũ, Athenienſiũ uerò equites quadringenti: ipſorꝶ uerò Arcadũ multitudo ingẽs: qui uicti ab initio, atque pulſi: cùm ſe tandẽ circa templũ conglobaſſent,

pugnam

pugnam adæquarunt. Elienſes igitur cùm peruincere templum nequirent, ac ſimul ab æde Veſtæ, & à theatro, cæteriſq; cõtinentibus ædificijs telis, lapidibuſq; ferirẽtur: ac ſol iam occideret; ſubducta paulatim acie in ſua ſe caſtra recepere. Arcades uerò tantus terror ex huius diei pugna peruaſerat, ut ſecutura mox die neq; defendere templum, neq; prælium ſuſtinere poſſe confiderent. Itaq; per noctem cæſis undiq; arboribus, aditiſq; præcluſis, intra munitiones conſiſtentes, nec uſquã exire auſi, obſeſſorum more Olympiam defenderũt. Et certamina quidem in Olympia per hunc modum tranſierunt. Poſtmodum uerò diſcordiæ maximæ inter Arcades ipſos conſecutæ ſunt, ob pecunias eius templi: quas alij erogãdas ad belli ſumptus, & cuſtodiam templi: alij nullo modo attingendas eſſe cenſebãt: ac potius reddendũ Elienſibus templum, quàm ſeſe, natoſq; ſuos tanto belli ſacrilegio inquinarent. Hæ diſcordiæ longius agitatę, ad extremum pacem inter Elienſes, Arcadeſq; pepererunt: peruincente ea parte, quæ ſalubriore conſilio non attingendas pecunias templi, nec deorum iram in ſe prouocandam ſuadebant. Quippe neceſſarium fore uidebatur, diſsidentibus Arcadum animis aut pecunias illas in conductum militem erogare, aut templum deſerere. Atqui erogare templi pecunias plurimi Arcadum non ferebant: deſerere autem templum, alij non patiebantur. Media igitur uia potior uiſa eſt: pacis uideli-

cet, atque concordiæ. Huius ergo pacis ineundæ gratia cum ſingularum Arcadiæ ciuitatum legati apud Tegeam urbem conueniſſent: ac tandem pax recepta, iurataq; foret: gaudio, & lætitia, feſtisq;, & conuiuijs Arcades exultabant. Erat in Tegea urbe Thebanus quidam præfectus, habens præſidium copiarum ſatis magnum, cum quo urbem illã tutabatur. Is indignè ferens, quòd abſque communi Thebanorum decreto, ipſi per ſe pacem iniſſent: irritatus etiam ab ea parte Arcadum, qui paci aduerſabantur: miſsis confeſtim per urbem militibus autores, ſuaſoresq; pacis de medijs conuiuijs arripi iuſsit. Studuit uerò plurimum Mantinenſes legatos capere: ſed illi, quòd propinqua erat Mantinea, ſtatim iurata pace domum abierant. Cæteri ergo detenti, & in cuſtodiam traditi cùm eſſent, Mantinenſes celeriter alijs ciuitatibus Arcadiæ hæc nunciarunt: & in armis ſingulas eſſe iuſſerunt. Ipſi autem legatione ad præfectum miſſa, ut nullum, neque ex Mantinenſibus, neque ex alijs Arcadibus, quos cepiſſet, abſque iudicio necaret, edixerunt. Paratos enim ſe fore ſuorum hominũ delicta cognoſcere: ac pro meritis illa punire. Docuerunt inſuper Arcadiam totam eſſe in armis: nec paſſuram homines ſuos ludibrio haberi. Thebanus igitur præfectus maiorem formidans motum, captiuos dimiſit: fingens deceptum ſe, quòd Lacedæmonios audiſſet uenire ad Tegeam capiendam opera quorundam

dam Arcadum: eaq́ ſuſpitione illos retinuiſſe, quoad uideretur uerum'ne, an falſum eſſet, quod illi fuerat ſuggeſtum. Nec ſanè Arcades ob hanc præfecti contumeliam à ſocietate Thebanorum deſciuerunt: ſed Thebas miſsis oratoribus præfectum accuſarunt: oſtendentes, ultimo ſupplicio digna commiſiſſe: nec per eum ſtetiſſe, quò minus res ſociorum in Peloponneſo euerteretur. Epaminundas per id tempus magiſtratum gerebat: qui auditis Arcadum querelis, non ſatis clementer legatis reſpondit, Rectius, inquit, uidetur feciſſe præfectus Thebanus, cùm autores pacis cepit, quàm cùm eos dimiſit. Nam cum ueſtri cauſa nos in bello ſimus: non'ne proditioni ſimilimum eſt uos ipſos pro uobis pacem feciſſe, nos in bello reliquiſſe? Abite igitur, inquit, atque illud ſcitote: nos cum exercitu uenturos eſſe in Arcadiam, atque bellum unà cum illis, qui nobiſcum ſentiunt, geſturos. Hæc Epaminundæ uerba cùm relata eſſent in communi Arcadum conſilio, Mantinenſes cum magna parte ciuitatum Arcadiæ ſtatim defecerunt à Thebanis, & ad Lacedæmonios miſsis oratoribus, ſeſe cum illis ſocietate, & fœdere coniunxerunt, ea moderatione principatus, ut dum in Arcadia gereretur bellum, Arcades ipſi ducerent: dum in Lacedæmoniorum locis, Lacedæmonij duces eſſent. Excitauerunt quo-

aliud moliri Thebanos, quàm ut ciuitates Peloponneſi adinuicem conflictentur, atteranturq́ꝫ: quo ipſi poſteà nõ difficulter illis dominari poſsint. Dum hæc in Peloponneſo geruntur, intereà Epaminundas dux bello à Thebanis præfectus copias impigrè parabat. Ad domeſticum enim equitatum, peditatumq́ꝫ, inſuper ex Theſſalia, & Eubœa, & Bœotia ſatis magna auxilia ſuperuenere. In Peloponneſo autem à ſocijs eius aduentus expectabatur. Erant uerò Argiui, & Meſſenij, & Arcadum ea pars, quæ cum Thebanis remanſerat: in qua fuerunt Tegeatæ, & Megalopolitæ, & Aſteatæ, & Pallantes, & ſi qua parua oppida inter hos conſtituta ſequi illos cogebãtur. Epaminundas igitur cùm omnes conueniſſent copiæ, celeriter profectus in Nemæam duxit. Cum tamen eò perueniſſet, aliquot dies circum ea loca deſedit. Cauſa uerò & properandi prius, & poſteà commorandi, fuit: quòd Athenienſium copias Lacedæmonijs, Arcadibusq́ꝫ auxilio profecturas, ſi terra iter facerent, per ea loca tranſire neceſſarium erat. Itaq́ꝫ magnam ſpem habuit opprimere illas poſſe: quod ſi contingeret, magnam belli partem confectam fore arbitrabatur. Dum in Nemæa commoratur Epaminundas, aduerſarij omnes apud Mantineam conuenerunt. Id cùm ille cognouiſſet: ſimulq́ꝫ certior factus eſſet, Athenienſium copias terra quidẽ iter facere poſſe deſperaſſe, mari autem cõſtituiſſe Lacedæmona petere: mouens

ipſe

ipſe ex Nemæa in Tegeatas peruenit. Ibi ſuſceptis amicorum, ſociorumq́ auxilijs, intra Tegeam urbem exercitum omnem induxit: nec primùm illius induſtria laudata eſt, quòd caſtra intra mœnia collocarit: ubi non ſolum magis tutum ſibi fuit degere: uerumetiam magis occultum quicquid facere moliretur: magisq́ ſui conſilij, ac deliberationis, quando pugnam inire, aut differre uellet. Ipſe igitur cum exercitu intra Tegeæ mœnia conſiſtens, occaſionem rei bene gerendæ præſtolabatur, ad ſingula uigilans, atque intentus, hoſtium conſilia, atque progreſſus, ne quid ſe lateret, mira ſagacitate ſcrutabatur. Cum hoſtes, ut diximus, apud Mantineam conueniſſent: nec longè ab eo loco Epaminundas cum exercitu eſſet: pugnamq́ fore ſperaretur: Ageſilaus Lacedæmoniorum rex crebris nuntijs euocatus cum Lacedæmoniorum multitudine Mantineam petere, ac ſeſe cum ſociorum copijs coniungere ſtatuit. Hæc igitur Epaminundas obſeruans, poſtquam Ageſilaum egreſſum cum exercitu, & iam in Pelleneos deueniſſe cognouit: repentè copijs eductis Lacedæmonem ipſam petere contendit, adeo celeri, & improuiſo itinere: ut, niſi deorum beneficio quidam ex Creta eques feſtinato curſu id Ageſilao nuntiaſſet: prius capta fuiſſet Lacedæmon, quàm uenire hoſtes cognouiſſet

cto periculo, ſtatim Lacedæmonem cum recurriſſet, ac præueniſſet Epaminūdæ aduentū, locaq; opportuna properè occupaſſet, ex manifeſtiſsima clade patriam ſeruauit. Epaminundas, poſtquam rediſſe Ageſilaum, & urbem defendi poſſe cognouit: expectare noluit, dum copiæ hoſtium, quæ erant apud Mantineam, Lacedæmona uenirent: ſed aptiorem ſibi locum ad bellum gerēdum Tegeam arbitratus, unde profectus erat, copias reduxit. Cæterū ex hoc Lacedæmoniorum periculo in tantum ſtatim fama Epaminundæ creuit: ut hoſtes maximè illius ingenium, ac magnitudinem animi formidarent: putātes neq; conſiliū mirabile in rebus maximis, neq; audaciam in conficiendo illi deeſſe. Itaq; & cauendū, & obſeruandum hominē diligētius ſtatuebāt. Sed cùm Athenienſium magna equitū auxilia ſuperueniſſent hoſtibus: magnas inſuper Arcades ipſi, & ſocij copias haberent: magnas Lacedęmonij quoq; coniunxiſſent: hoſtes ſub diuo caſtra faciebāt. Epaminūdas uerò ab initio, ut conſtituerat, copias ſuas oēs intra Tegeæ mœnia continebat: nec longè aberāt hoſtes, multitudine ſua cōfiſi. Cùm aliquāto p hunc modū ſtetiſſent: Epaminundas pugnare ſtatuit, iampridem apud animū ſuum conſtituto, quēadmodū pugnam committere deberet. Itaq; dixit militibus, ut ſe ad prælium pararent, intra paucos certè dies futurum. Illi uerò læto clamore operā polliciti, ad apparatum belli conuertuntur. Eratq; operæ pretium uidere

galeas

galeas alios tergentes, alios gladiorum, pilorumq́; cuſpides acuentes, alios ſcuta dilucidantes, alios fręna, & ornamenta equorum aptantes. Hæc enim Epaminundas fieri iuſſerat, & inſpector aderat ſingulorum, dum agerentur. Cùm ſatis apparata uiſa ſunt omnia (quod bonum, fauſtumq́; ſit) arma capere, ſimulq́; curare corpora milites iubet. Ea uerò cum facta eſſent, copias educit: nec ad hoſtes recta contendit uia: ſed relictis ad dexteram hoſtibus, ipſe alia uia planitiem tranſgreſſus ad montes peruenit: ibiq́; milites conſiſtere, & arma ponere iuſsit. Qua ex re ſpem hoſtibus dedit quaſi caſtra metari eo in loco uellet. At ipſe per hoc maxime tempus aciem ſtruebat. Quicquid enim roboris in toto exercitu habuit: prima fronte collocauit, exiſtimans id quod euenit: ſi primo impetu diſsipati forent hoſtes, necubi poſteà conſiſtere ualere. Itaque omne robur in frontem contrahens ſolidiſsimam, ac robuſtiſsimam aciem fecit, quaſi roſtrum nauis, quod impetu ſit perrupturum. Cæteras uerò acies magis ad ſpeciem, quàm ad uſum aliquem ſtruxit. Quarum unam montem conſcendere, contraq́; Athenienſes, qui ſeorſum caſtra fecerant, ſtare iuſsit: quò metu circunuentionis eos ſuo loco diſtineret. Cùm

progreſſum itinere conſpexerant: ac poſteà munire caſtra illum credebant, expectationem omnem po- ſuerant ea die præliandi. Itaq; cum ſuperuenire il- lum conſpectum eſt: trepidi omnes, atque incerti modò arma induere, modò equos frenare, modò ſuos uocare properabant, quaſi attoniti, ac de reſi- ſtendo potius, quàm de uincendo cogitantes. Oc- curſum eſt tamen, & quantum anguſtia temporis pa tiebatur, acies ab hoſtibus tumultuariè ſtructa: ſed nihil fefellit Epaminundam ex his, quę cogitauerat. Nam cum in hoſtes magno impetu delatus fuiſſet: eos tandem poſt acrem, uehementemq; pugnam ui, & armis, & pectoribus ipſis perfregit, diſsipauit, in fugam uertit. Fugientibus uerò hoſtibus plurimum auxilio fuit Epaminundæ uulnus: qui dum in pri- ma fronte cominus hoſtes frangit, haſta transfixus eſt. Itaque dum milites ſtudium, & amorem ſuum duci præſtant, hoſtem perſequi deſtiterunt. Ex quo factum eſt, ut ex tanta uictoria non magna ſtrages fuerit hoſtium. Præter illos enim, qui dimicantes in acie ceciderant, in ipſa fuga non ingens multitu- do perijt: negligentibus Epaminundæ militibus eos perſequi: ſed circa ducem tanquam apes circa regem ſuum ſe conglobantibus. Epaminundas ex uulnere paulò pòſt ſpirauit. Victoria tamen mani- feſtiſsime parta, Lacedæmonijs principatu adem- pto, & autoritate potentiaq; omni ad Thebanos ui- ctores

ctores traducta. Ita principatus Græciæ ab Athe-nienſibus ad Lacedæmonios, de Lacedæ-monijs rurſus ad Thebanos mirabi-li fortunæ conuerſione deuenit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

